DE TYRANNICIDIO

APUD

SCRIPTORES DECIMI SEXTI SECULI

COULOMMIERS — IMP. P. BRODARD ET GALLOIS.

DE TYRANNICIDIO

APUD

SCRIPTORES DECIMI SEXTI SECULI

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

ARISTIDES DOUARCHE

IN JURE DOCTOR

AGINNENSIS CURIÆ PRÆSES

Ad generum Cereris sine cæde et vulnere pauci
Descendunt reges et sicca morte tyranni.
(Juvenalis, Satira X.)

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD L. HACHETTE BIBLIOPOLAM

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN

MDCCCLXXXVIII

CLARISSIMO VIRO

T. MARCOU

SENATORI

GRATI ANIMI PIGNUS

D. D.

A. DOUARCHE.

DE TYRANNICIDIO

APUD

SCRIPTORES DECIMI SEXTI SECULI

PROŒMIUM

De tyrannicidio, quæ res ad mores æque ac politicam spectat, perpetua fuit omnibus seculis controversia, populique universi diligenter quæstionem illam disceptando scrutati sunt et sæpius ad actum redegere, sive religionis cæco furore sive civilibus instincti odiis.

Nusquam tamen, ut opinor, fervidioribus elata est laudibus tyranni cædes quam in decimo sexto seculo, aut plura edidit facinora illud mentis conceptum, cujus gratia plurimi viri principes neci occubuerunt. Cujus rei si causam requires, ex affectibus oriri manifestum erit religiosis civilibusque, qui propriam et peculiarem turbulentæ illi ætati notam imprimunt.

Illud sane mirandum quod tyrannicidium ab æque infensis et multum inter se discrepantibus partibus probatum sit, et edoctum laudibusque excogitatis celebratum a protestantibus primum, post etiam a catholicis. Quippe qui utrinque plurima scripta ediderint ut profiterentur et argumentis asseverarent jure populos et rebellare et tyrannos trucidare posse. Ac sane confitendum est utrosque sententiam vicissim mutavisse et quam opinionem primo præ se exhibuissent posterius exuisse, prout res vel commodum suaderet, cædendum esse tyrannum prædicantes quum ab inimicis ipsi opprimerentur, servandum autem postquam rebus publicis procurandis rursus essent præpositi.

Ut vero accuratius exquiramus qua vi acti quove monitu instincti decimi sexti seculi scriptores ad hanc quæstionem de tyrannicidio accesserint, operæ pretium est paucis explanare quid de hoc senserint Græci et Romani. Quamvis enim ab illis multum discrepet Gallica societas, seu politicam spectes, sive religionem et mores, plurima sunt tamen quibus nos, veterum quasi hæredes et alumni, atavorum habitum referamus : mores nostri et in rebus publicis assiduæ apud nos mutationes quasi ad imitationem Atheniensium vel Romanorum evadunt; discipulis instituendis adhibita ratio, antiquos homines plurimum imitata, eorum apud nos tum depravatas opiniones, quum excellentia instituta prorogavit. Quæ quidem affinitas et similitudo inter gallicam et antiquam societatem non alias manifestius forsitan eminet quam in illo litterarum Renovationis seculo, quo tempore miratione in veteres scriptores perciti, eos omnes nostri homines imitabantur, et scripta imitando ad sensus etiam et animi affectus resumendos sensim declinabant.

Eo pertinet igitur opusculum nostrum, ut commemoremus atque ante oculos historicorum, aut philosophorum, hactenus disjunctas, nunc in eumdem locum a nobis coactas, sententias ponamus, quas de tyrannicidio expresserunt et nobis tradiderunt decimi sexti seculi scriptores. Haud speramus quidem fore ut omnia, quæ dicturi sumus, nova videantur omnibus; sed erimus voti compotes, si omnia cogere, quæ quasi secretis dispersa monumentis latent, potuerimus. Quod saltem novum erit, ni fallimur, nec forsitan admodum inutile.

CAPUT PRIMUM

DE TYRANNICIDIO APUD GRÆCOS ET ROMANOS

In Græcorum annalibus, duo viri, eximio splendore fulgentes, speciem quam vividissime expressam exhibent : Harmodius et Aristogiton arctissime inter se conjuncti. Qui quidem, post Hipparchi cædem in locum summorum heroum provecti, tamen, si auctorem Thucydidem sequaris [1], fœda quadam et turpi causa ad vindicandas privatas injurias deducti sunt. Quin imo non solum Athenas servitute non liberaverunt, sed etiam id tantum profecere ut Hippiæ sævitiam acuerent, Atheniensibusque gravius et intolerabilius jugum imponerent, donec, per Cleomenem Lacedæmonium everso Hippia, tandem oculis effulserit renovata libertas. Attamen, spreto scriptorum testimonio, populus alacribus studiis incensus non secius Harmodium et Aristogitonem laudibus extollere, eorumve memoriam summa veneratione prosequi. Nemo non novit vulgatum illud carmen, a Callistrato, ut creditur, compositum et nobis ab Athenæo servatum [2], quod posterius apud Athenienses festum et populare floruit :

In myrti ramo gladium feram,
Sicut Harmodius Aristogitonque,
Quum tyrannum occiderunt,
Liberasque Athenas præstiterunt.

Carissime Harmodi, non utique mortuus es :
Beatorum sed in insulis te aiunt esse,
Ubi velox pedibus Achilles,
Tydidemque ubi aiunt esse Diomedum.

1. VI, 54.
2. Athenæi *Deipnosophistarum* liber decimus quintus.

In myrti ramo gladium feram
Sicut Harmodius Aristogitonque,
Minervæ quum in sacrificiis
Virum tyrannum Hipparchum occiderunt.

Semper vester honos in terra durabit,
Carissime Harmodie et Aristogiton;
Quod tyrannum sustulistis,
Liberasque præstitistis Athenas.

Artifices quoque ad consecrandas Harmodii Aristogitonisque laudes adhibiti sunt. In media enim Agora stetere eximiorum juvenum imagines apud suggesta ex quibus oratores de summis reipublicæ rebus disserebant. Illud quidem notabilius quod ea tempestate haudquaquam omnes temere tali præmio afficiebantur quicumque de civitate bene meruissent; sed quasi ad deorum numerum adscribebatur si quis ad perennem memoriam marmoreo signo commendaretur: qui honos ab initio apud Athenienses Diis tantum et heroicis viris concessus. Primi fuere, credo, Hipparchi interfectores qui ea lege soluti fuerint per singulare exemplum.

Quam rem non est quod magnopere mireris, si quales fuerint publici Atheniensium mores attenderis : libertatem enim ante omnia colebant et tyrannos vividissimo odio insectabantur. Populare imperium et æquum in civitate jus tali amore fovebant ut inspectum et infestum haberent eximium quemque supra vulgus eminentem ac pericula ab insignibus viris imminentia averterent exquisita illa et salutari ostracismi pœna, scilicet exsilio.

Adeo vigebant libertatis amor et tyrannorum odium alte in civium animo defixa ut eadem deprehenderes et in philosophorum scriptis, eorum præcipue qui Socratis doctrinam penitus sequuntur.

Xenophon, in parvo dialogo cui inscribitur *Hiero*, in quo Simonidem poetam inducit cum Syracusano tyranno confabulantem, haud semel profitetur vim esse in tyrannos adhibendam : « Non solum, ait [1], civitates cæsum tyrannum non ulciscuntur, sed etiam tyrannicidas summis afficiunt honoribus; non solum non arcent sacris ut privati civis interfectores, sed in templis imagines eorum dedicant ad egregium facinus memoriæ commendandum. »

Item et Plato, institutionis Socraticæ alumnus et interpres, invidiam in tyrannos explicat. Nempe sub extremam *Gorgiæ* partem,

1. Caput IV.

quæ argumenta intendit Socrates ad refellendam adolescentuli cujusdam arrogantiam plane ex intima conscientia cujuslibet Atheniensis expromit, tyrannum in hoc temerario sophistarum discipulo subodorantis. Quod vero Plato summatim tantum et leviter alias præstringit, idem aperte et sine ambagibus in nono *de Republica* libro explicat, ubi subtilius rem perscrutatur et vivida eloquentia in lucem profert. In quo profitetur duas esse causas cur fiant tyranni, quarum alteram inveneris, si tyrannorum mentem, qualis sit, alteram autem si populi vitia, qualia sint, diligenter inspexeris. Uno scilicet styli ductu societatis antiquæ miserias et vitia nobis aperit, tyrannum cum privato viro componens : hic plurimis servis stipantibus in eorum rebellionem fulcitur quos opprimit quanquam a natura ad libertatem creatos; ille vero solus, sine opibus, sine præsidio, populum semper ad vindicanda jura paratum nulliusque molestiæ patientem coercet ac moderatur. In loco notissimo qui fere ab omnibus illis perscriptus aut translatus est qui tyrannicidii patrocinium susceperunt, Plato matris cædi æquiparat tyranni in patriam sævitias, et ideo gravissimas humanæ justitiæ pœnas in potestatis iniquæ conditorem evocare videtur. Hæc erant argumenta, hæ hortationes quæ efferre ardentem juventutem et ad cædem animo fovendam incitare possent [1].

Aristoteles quoque, in *Politica*, regem a tyranno quam solertissime sejungens in hunc omnes acerbitates omniaque convicia coacervat [2].

Nec Athenis tantum illud in tyrannos odium comperias usque ad cædem prolapsum. Apud omnes civitates græcas æque ad laudandum et divinis quasi honoribus extollendum tyrannicidium processum est [3].

Nullum fere reperias apud Græcos scriptorem, qui hac de re parcius egerit vel alicui religioni indulserit quum periculosum illum reipublicæ servandæ modum tractaret, quo efficitur ut idem una accusator, judex et carnifex arbitrio suo evadat; vel qui expresse illud facinus respuerit, præ se sanctam illam et venerandam legem ferens qua vetatur ne quis sibi ullum in alienam vitam jus arroget. In ratione et in usu, quicumque potestatem vel specie vel re occupasset, extra jus commune detrudebatur et sine præ-

1. Vide doctissimi viri Egger libellum cui inscribitur : *Études d'histoire et de morale sur le meurtre politique.* Turin, 1866, in-4.
2. Lib. VIII, 8.
3. Vide Polybium, II, 59 et seq.

sidio manibus quibuslibet permittebatur ad libertatem vindicandam armatis.

A Romanis tyrannicidium haud secus atque a Græcis et laudatum et honoratum fuit. In regum imperium tantam invidiam Tarquinii conflaverant ut nomen ipsum regum semper populus Romanus perosus fuisset. Brutus popularem potestatem instituit et institutam morte duorum filiorum sanxit. Inde pro jure habita est vis adhibita in tyrannos restituendos, et primo tempore in lege Valeria, jus illud expressum est, qua perpetuæ animadversioni et vindictæ publicæ obnoxius erat si quis re vel mente manum ad potestatem admovisset violentam et illegitimam [1]. Ab hoc tempore Urbis annales abundant actis quæ in memoriam revocant Græciæ civitates pro libertate adversus tyrannos decertantes, quos ex sese usque pariebant. Seu plebis præsidio, seu senatus fultus, sive ex humili ortus loco, sive ex patricia gente regnum si quis affectabat, haud semel obiit et legibus in antecessum annuentibus et publica opinione.

Quanquam moribus et institutis Roma Græciam refert, profitendum tamen est Romæ, sub imperio consulari, nunquam habitas esse de tyrannicidio illas laudatorias orationes quibus parum parcebant Græci scriptores. Nec mirum : primis enim temporibus Romani in agendo magis quam in loquendo erant occupati. Posterius vero rhetores Græci cætera Romanos docuerunt et præsertim oratorias declamationes, quibus facile sive in concione, sive in ludo scholastico moventur hominum affectus.

Primus Tullius admovit mentem ad usurpandas voces et figuras Græcorum in laudando Bruto ejusque sociis post Cæsarem cæsum. Brutum enim et Cassium *tyrannoctonos* dicit, quod verbum a Græco sermone mutuatur, heroesque vocat et subjicit se nulla re magis adhuc delectatum præter idibus Martiæ. Idem in epistola ad Atticum : « Omnia licet concurrant, idus Martiæ consolantur. Nostri autem ἥρωες, quod per ipsos confici potuit, gloriosissime et magnificentissime confecerunt [2]. »

Ceterum apertissime suam et omnium simul Romanorum sententiam declarat, in libro *de Officiis*, vividis extollens laudibus Cæsaris cædem, tyranni et tyrannicidæ omisso nomine : « Sæpe tempore fit, ut, quod plerumque turpe haberi soleat, inveniatur non esse

1. Vide Titum Livium, II, 8.
2. *Ad Atticum,* XIV, 6 et 4.

turpe. Exempli causa ponatur aliquid, quod pateat latius. Quod potest majus esse scelus, quam non modo hominem, sed etiam familiarem hominem occidere? Num igitur se adstrinxit scelere, si quis tyrannum occidit, quamvis familiarem? Populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum existimat. Vicit ergo utilitas honestatem? imo vero honestatem utilitas est consecuta [1]. »

Imo vero nulli unquam utilitati fuit cædes publica ad libertatem restituendam. Quod patuit post Cæsarem cæsum. Rerum enim eventu multi dempti sunt errores, multorumque spes præcisæ aut consilia in contrarium versa, victorque Augustus imperium instituit. Multis ipse obnoxius fuit sicariis; multi per diutinum imperii ævum principes sævi militesve ab infimo gradu ad summum fastigium evecti necem obiere. Dum tamen varios sortiebatur dominos imperium, eamdem servitutis speciem servabat.

Inter hæc tamen pervicaciter fovebatur libertatis amor, moresque et habitus a majoribus traditi per adversa et aspera in reconditis animorum partibus superstites vigebant. Cujus rei maxima documenta haurire possis ex scriptis quæ sub imperatoribus edita sunt.

Quintilianus, in duodecimo *de Institutione oratoria* libro, inquirit an vir probus apud judices sicarii causam dicendam suscipere possit, et causam tyrannicidæ excipit in qua virtus et religio non ad ineundum consilium parum valent [2].

Abhinc et per totum senescentis imperii ævum, Bruti et Cassii nomina summa veneratione fuere commendata.

Refert Suetonius Albutium rhetorem, qui nec philosophus nec tribunus erat, quum Mediolani sub Augusto principe apud proconsulem L. Pisonem de cæde quadam diceret, tanto omnium peroravisse assensu et favore, ut lictores fere faventium plausus et studia cohibere non potuissent. Albutius vero tum studiis, quum interpellationibus excitatus Italiæ statum effusius miserari iterum quasi in provinciam romanam reductæ, et quum ante oculos Bruti effigies staret, legum libertatisque vindicem appellare eum non dubitavit, neque multum abfuit quin graves tantæ audaciæ pœnas redderet [3].

Vulgatum Taciti nobile illud verbum in Juniæ exsequiis : « Præfulgebant Brutus et Cassius eo ipso quod imagines eorum non vise-

1. Lib. III, 4.
2. Quintil., XII, 1, 36.
3. Suetonius, *De claris rhetoribus*, c. VI.

bantur [1]. » Itemque apud Appianum [2], cujus severitas clementia quadam etiamque benevolentia in Brutum Cassiumque mitigatur, quum de virtutibus disserit quibus inclaruere et de cæde cujus complures habuere conscios, cujus tamen propter ipsas virtutes posterorum judicio veri patratores perstitere.

Sed multo majore miratione moveberis si animum adverteris ad inspiciendum quid tunc ageretur in scholis, quum ne per somnium quidem videretur fas esse meditari de restituendo pristinæ libertatis statu. Rhetores enim et discipuli pertrectabant quæstiones maxime ab ætatis præsentis politico jure abhorrentes; de tyrannis et de tyrannicidis fusius et prolixe disserebant, perinde ac si Periclis ævo viverent. Ceterum quibus tyrannis inherebant infensi eo tempore ludorum alumni, nulla prorsus erat cum illis viris annalium tyrannis similitudo. Tyrannus, persona obsoleta locusque pertritus editur et profertur sub omni qualibet specie ut vulgaris ad scribendum materia. Illi impensius indulgetur apud Græcos æque ac Latinos rhetores grandia tantummodo et putida verba sectantes, plane periculorum securi quæ ex ejusmodi controversiis oriri possunt.

Tali modo Quintilianus illud agitat sub Nerone et Domitiano; eodemque Lucianus sub Antonino et Marco Aurelio. Discipulis proponebant magistri ad declamandum fabulam sive argumentum de tyranno quodam vel necato vel ejecto. Hæc est, in exemplum, materia ab ipso Luciano quam elegantissime explicata : arcem homo quidam quum ascendisset ad occidendum tyrannum ejusque filium tantummodo invenisset, puerum obtruncavit patris opprimendi exsors. At ille superveniens e corpore jacentis nati gladium avulsum in semet retorsit : proinde servata est res publica et interfector pro filio occiso idem exegit præmium ac si patrem occidisset.

Ut ea tempestate exercitationibus informabantur non milites ad castrorum bellique labores sed tantum ad circenses ludos apti æmulatores, ita dicendi ars quædam et disciplina colebatur, quæ non idoneos præstaret oratores ad patrocinium reorum suscipiendum vel cives ad res publicas scite gerendas, sed loquaces tantummodo et copiosos rhetores ridiculis ostentationibus paratos.

1. *Annalium* lib. III, 76.
2. *De bello civili,* lib. IV, 114, 123, 132-135.

CAPUT SECUNDUM

DE TYRANNICIDIO QUID SENSERINT HEBRÆI, PRIMI CHRISTIANÆ ECCLESIÆ PATRES ET THEOLOGI MEDII ÆVI

Quemadmodum decimi sexti seculi scriptores plurimas veterum notas referunt, et affectus sensusque defunctæ ætatis novam quasi ad vitam revocant, dum Renovationis virtus hominum mentem disciplina antiquorum instituit quasi suscitans et ad lucem redigens quidquid cogitaverint de civitate et de litteris, ita multis rebus Renovationis ævum ab illo antiquo graviter discrepat quas notare et summatim attingere operæ pretium est. Hæc quibus ab ætate pristina posterior disjungitur præcipue a religione oriuntur, cujus vis adeo pollens fuit ut plane novam societatem in veteris locum suggesserit.

Apud Græcos et Romanos tyrannicidium tantum ad rem politicam et mores pertinet : apud recentiores vero ad religionem præsertim. De religione controversiæ proprium et peculiare signum imprimunt turbulentæ illi ætati et ita cum civilibus contentionibus arcte consociantur ut difficile disjungi possint. A religione civiles factiones argumenta, arma, nominaque sibi desumunt : hinc Reformati, Hugonoti, Calviniani, Lutherani; illinc Catholici, Henotici, sanctæ Unionis fautores. Illi etiam qui ad neutram partem se inclinare profitentur sibique Politicorum nomen prætendunt maximi momenti æstimare religionem coguntur, eamque inter maxima annumerare ejusque vim semper subire. Quo fit ut habitus apud antiquos rerum civilium sensus, quo imbuti fuere Plato, Aristoteles, Tullius et Livius, quo postea Machiavellus, nobis a mera ratione et philosophia oriri videatur; eum quidem in lucem iterum prodit Renovatio, sed adjicit insuper sacerdotales doctrinas et religionis auctoritatem, quæ ex sacris scripturis oritur et doctrinis theolo-

gorum medii ævi, quibus pariter et Catholici et Reformati sese addictos esse prædicant.

Sacerdotalium doctrinarum fautores semper Scripturæ auctoritatem præ se tulerunt a quo fonte præsertim oritur christiana societas. Apud Hebræos rerum publicarum mores et instituta e religione ducebantur secundum Moseas leges. Liberam enim et quodam modo sui juris habebant civitatem, sed Deo addictam et inservientem. Suprema auctoritas penes Deum, unum rerum arbitrum, unum regem et agri dominum. Cum Deo populus pactus erat, auspice Mose : ille petentibus leges dederat, ille semper in rebus gravibus consulebatur et responsa dabat per summum pontificem sive prophetas. Ita quidem res sese gerit a Mose usque ad reges.

At quum in regnum respublica immutata est, non tamen omnino a theocratica specie deflexit. Deus enim regem deligit, internuntio Samuele, qui delectum ungendo consecrat; idem et præcipiente Deo Saül regia dignitate indignum dejicit et novum regem in ejus locum subrogat. Quamvis latius in dies reges auctoritatem suam expandant et ad frena abrumpenda conentur, nunquam tamen omnino Dei dominationem excussere. Immotum et integrum permanet jus divinum. Per me, inquit Deus, reges regnant et legum conditores justa decernunt [1]. Ad hoc extra sacerdotes et collegium more legitimo constitutum semper fuere qui divina mente instincti seque a Deo missos prædicantes, nec ullum muneris injuncti signum exhibentes regem monerent ejusque ambitioni frena subderent : prophetæ scilicet, populi repugnantis quasi fautores et magistri, qui ceterum contra populum æque ac contra regem sæpe infestos sese habebant. Apud Hebræos quam sæpissime patratur tyrannicidium etiamque internecione gentes regiæ prosternuntur. Dici potest tyrannicidium habitum esse regnandi instrumentum. Ubi Deus in rege offendit quem præfecit populo, in eum interfectorem quemdam suscitat; ubi populum vult ab infesto hoste liberare, item ad cædem decurrit.

In hac parte thesis nostræ et in quibusdam aliis, de natura regiæ auctoritatis scribimus, quia nonnulla illi et tyrannicidii doctrinæ communia videntur. Quum enim rex temperans delegatæ potestatis viget, eam apud se, annuente populo, retinet : quum autem, perversis naturæ gentisque legibus, rex potestatem suam in damnum populi, non in salutem exercet, hoc ferunt graviter cives et

1. *Liber Proverbiorum*, c. VIII, 15.

sæpe ad novas res consurgunt. Tum scriptores reperias qui tyrannicidium extollant, et homines rationis impatientes a quibus facinus illud perpetretur.

Ocius profitendum est Novum Testamentum a Vetere longe distare, nec eadem mente theocratica inspirari. Cuilibet æquo animo illa perspicienti plane apparet Christus neque novarum rerum agitator neque dominationis regnive ambitiosus. Frustra pontifices summi Gregorius VII et Innocens III, medio ævo, ex cathedra scripta torquere et a vera sententia avertere conati sunt : nemini non liquet Christum dominationem nec sibi nec discipulis appetivisse. Cujus maxima hæc habeo documenta quæ ipse dictitabat : « Non veni ministrari, sed ministrare. — Regnum meum non est de hoc mundo [1]. » Denique in noto et ab omnibus sæpe usurpato loco, nitide disjunxit quod ecclesiæ et quod civili potestati debetur, dicens : « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari et quæ sunt Dei Deo [2]. »

Proinde Christus regnum terrestre a cœlesti disjunxit nec censuit æquum ut alterum alteri imperaret. Sed dum regnum divinum in medias hominum res intrudit christiana religio, quærendi locum subjicit quo modo utrumque regnum consociari et terminari possint. Illud quidem Evangelium vix attingit : hæc erit quæstio ad investigandum proposita medio ævo et recentioribus.

Apostoli certe et Patres Ecclesiæ veris Christi affectibus et monitis ducti sunt in agendi ratione : cujus normam exhibuit et expressit Paulus. Omnibus nota est vox illa sæpius in contrarias partes explicata et sane controversiis opportuna : « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt..... Dei minister est tibi in bonum. Si malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est : vindex in iram ei qui malum agit [3]. »

Igitur censet Paulus civilem auctoritatem a Deo oriri, civitatisque habitum et rationem a Deo institutam esse et ideo legi parendum vel cuilibet legitimæ auctoritati. Qui monitus ad omnem publicorum institutorum habitum plane spectat, ad regium impe-

1. *Evangelium secundum Matthæum,* XX, 28. — *Evangelium secundum Joannem,* XVIII, 36.

2. *Evangelium secundum Matthæum,* XXII, 21.

3. *Epistola Pauli ad Romanos,* caput XIII.

rium æque ac liberam civitatem. Nullam suggerit exceptionem Paulus : hoc unum tenet cuilibet auctoritati parendum et omnem auctoritatem a Deo manare, sive probabilis, sive prava sit. Certum est igitur medii ævi doctores et præcipue Thomam inscite et prave verbis et sensu Pauli abusos qui addiderint omnem auctoritatem a Deo manare *modo sit justa*.

Verumtamen apostoli perhibent tunc obsequio finem esse ponendum, si potestas publica fideles ad violanda Dei jussa astringere voluerit : tunc sane Deo quod debetur reddendum. Inde ortum est quod Petrus et apostoli coram Israelis pontifice summo in medio Hierosolymæ templo his verbis expresserunt : « Obedire oportet Deo magis quam hominibus [1]. » Ceterum neganda est obedientia tantum in illis quæ ad fidem pertinent, nunquam tamen ad arma procurrendum. Christianus mortem potius obire debet quam Deo suo displicere, sed non ut vim vi repellat : inde martyrium.

Tali mente instinctus Tertullianus in *Apologetico* submissos christianos et rebellantes philosophos inducit inter se adversantes : « Plerique in principes latrant, sustinentibus vobis, et facilius statuis et salariis remunerantur, quam ad bestias pronuntiantur. Sed merito; philosophi enim, non christiani cognominantur... » Non apud christianos, sed apud Romanos principum hostes deprehenduntur. « Unde Cassii, et Nigri, et Albini? unde qui inter duas lauros obsident Cæsarem? unde qui faucibus ejus exprimendis palæstricam exercent? unde qui armati palatium irrumpunt omnibus Sigeriis atque Partheniis audaciores? de Romanis (nisi fallor) id est, de non christianis [2]. »

Sed non diu illis se finibus continuit Ecclesia christiana, et excelsius quoddam munus expoposcit. Quum Dei loco regnum opinione sua exerceret, non diutius sustinuit se humano regno subigi : quum

1. *Actus apostolorum*, caput v, 29.

2. § 46 et 35. — De tyrannicidio quid senserint Hebræi et christiani, secundum Vetus Novumque Testamentum, scripsit Salmasius in opusculo sub hoc titulo in vulgus edito : *Defensio regia pro Carolo I* (Sumptibus regiis, 1649, s. l., in-fol.). Eruditione præstantissimus, nostra sententia, Salmasius, tamen ex memoria solum narrans et scribens, quum antiquorum sententias refert, et ratiocinatur ac de re disputat restrictior, « profusus verborum, vacuus rerum », meliorem denique causam tueri conatus pessimis argumentis, nobis esse videtur. Paulo post, in Britannia, Joannes Miltonus Anglus, Britannorum poetarum princeps, *Pro populo Anglicano Defensionem* pervulgavit contra Salmasii *Defensionem regiam* (Londini, typis Du Gardianis, 1651, in-16). Ex illo certamine, ut qui firmissimis argumentis, ornatissimo pugnacique et quasi bellatorio stylo usus fuerit, victorem evasisse Miltonum plerisque visum est.

sibi hoc datum esse negotium contenderet ut inter homines pacem, fidem, morum integritatem tueretur, negat æquo animo se toleraturam flagitia, aut Dei contemptores vel reges superbos. Humilium in potentes suscipit patrocinium et vexatorum in tyrannos opprimentes. Itaque, per medium ævum, se immiscet subditorum principumque contentionibus, inter eos decernit et dijudicat, et summum quoddam arbitri jus sibi addicit : quod a suprema et universali dominatione haud ita longe distat. Ecclesia supra rempublicam sese extollit; sed quoniam dignitates, leges, munera et arma propria per se habet, novam quamdam rempublicam juxta priorem insitam et coagmentatam constituit, moxque ad eam in se absorbendam nititur. Ita christiana religio a libertate orta ad novam quamdam tyrannidem tendit, dominationem scilicet theocraticam [1]. Ratio et disciplina Novi Testamenti doctrinis Veteris Testamenti cedunt, moresque ab Hebræis traditi de sacerdotum dominatione in lucem iterum proferuntur et pæne gentibus imponuntur.

Sed reluctatur civilis societas et adversus ecclesiæ assultus obnititur, donec post diutinam dimicationem libertatem recuperet. Illis contentionibus, illa victoria pleni sunt annales a medio ævo usque ad decimum sextum seculum. Propterea antequam decimum sextum seculum, quæ vera nobis est proposita materia, attingamus, paucis explanandum est quibus doctrinis de tyrannicidio indulserint præcipui in medio ævo theologiæ doctores.

Qua ætate, exorta est et floruit pravissima illa rerum politicarum disciplina, quæ odium in civilem potestatem usque ad tyrannicidium incitat et extra modum evehit et exaltat pontificale dominium.

Primus apud scriptores ejus ætatis fuit, qui illustri exemplo ecclesiæ dominationem et popularis juris amorem arctissime conjunxerit, Joannes Saresberiensis, qui florebat intra 1110 et 1180 annum, amicus Thomæ archiepiscopi Cantuariensis et ferventissimus ejus socius in contentione infensissima adversus Anglorum regem. In libello cui inscribitur *Policraticus sive de nugis curialium et vestigiis philosophorum* [2], illud æquum esse censet et demonstrandum suscipit ut pontifex regibus imperare debeat, et in principum potentiam acerrime invehitur, prædicans unum esse papam qui tyrannidem et violentum imperium frenare possit : eumdem

1. Vide doctissimi viri P. Janet opus sub hoc titulo editum anno 1872 : *Histoire de la science politique dans ses rapports avec la morale,* t. I, p. 344 et 345.
2. Lugduni Batavorum, ex officina Joannis Maire, 1639.

addit voluntatis divinæ esse procuratorem, summumque regum judicem, et illi jus permittit atque munus eos destituendi secundum Veteris Testamenti usus et doctrinam.

Tyrannicidii quæstionem renovat oblivione obrutam post imperii romani casum et subtiliter regem a tyranno dijudicat [1]. Nec eam semel aut fortuito enuntiat sententiam; iterum idem et multifariam contendit jure occidendos esse tyrannos, atque etiam adhibita perfidia : « Aliter cum amico, aliter vivendum est cum tyranno. Amico utique adulari non licet, sed aures tyranni mulcere licitum est. Ei namque licet adulari, quem licet occidere. Porro tyrannum occidere non modo licitum est, sed æquum et justum. Qui enim gladium accipit, gladio dignus est interire. Sed accipere intelligitur, qui eum propria temeritate usurpat, non qui utendi eo a Domino accipit potestatem. Utique qui a Deo potestatem accipit, legibus servit, et justitiæ et juris famulus est. Qui vero eam usurpat, jura deprimit, et voluntati suæ leges submittit. In eum ergo merito armantur jura, qui leges exarmat, et publica potestas sævit in eum, qui evacuare nititur publicam manum. Et quum multa sint crimina majestatis, nullum gravius est eo, quod adversus ipsum corpus justitiæ exerceatur. Tyrannis ergo non modo publicum crimen, sed si fieri possit, plus quam publicum est [2]. »

Fatendum nihilominus summum ex theologis Thoman Aquinatis, qui degebat in fine decimi tertii seculi, id est ferventissima medii ævi parte, non eisdem quibus Joannes Saresberiensis indulsisse pravis opinionibus. Certe fervidis verbis tyrannos mulctat in disputatione *De regimine principum*, cujus num sit verus auctor haud plane comprobatum est : « Nulla erit securitas, inquit, sed omnia sunt incerta quum a jure disceditur; nec firmari quidquam potest, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine.... Quum tyrannus contempto communi bono quærit privatum, consequens est ut subditos diversimodo gravet, secundum quod diversis passionibus subjacet ad bona aliqua affectanda. Qui enim passione cupiditatis detinetur, bona subditorum rapit..... Si vero iracundiæ passioni subjacet, pro nihilo sanguinem fundit.... Non pro justitia sed per potestatem occidit pro libidine voluntatis.... Tyrannis magis boni quam mali suspecti sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est..... Naturale etiam est ut homines sub timore nutriti, in

1. Lib. VIII, c. XVII.
2. Lib. III, c. XV.

servilem degenerent animum et pusillanimes fiant ad omne virile opus et strenuum : quod experimento patet in provinciis quæ diu sub tyrannis fuerunt..... Ideo a tyrannis se abscondunt homines, sicut a crudelibus bestiis, idemque videtur tyranno subjici et bestiæ sævienti substerni [1]. »

Sed quanquam tyrannidi est infensissimus Thomas, non hortatur ad rebellandum. Quis enim ex arbitrio successuram rebellionem spondere possit; si res secus cesserit, victor tyrannus et iratus sævitias suas exacuerit. Quod si destitutus fuerit, ejus casum excipere possunt civiles motus et contentiones quæ in discrimen detrudant summa populi commoda. Quin etiam nonne accidere potest ut ex iis qui tyrannum everterint exstet novus dominus qui metuens ne rursus ipse deturbetur populum sæviore servitio opprimat [2]?

Quum vero tyranni sævitia modum excesserit, Thomas censet jus esse ut jugum populus excutiat, et in summo discrimine noxiis omnino sit vacuus. « Si ad jus multitudinis alicujus pertineat sibi providere de rege, non injuste ab eadem rex institutus potest destrui..... Nec putanda est talis multitudo infideliter agere tyrannum destituens etiamsi eidem in perpetuo se ante subjecerat : quia hoc ipse meruit, in multitudinis regimine se non fideliter gerens, ut exigit regis officium, quod ei pactum a subditis non reservetur. Sic Romani Tarquinium Superbum.... a regno ejecerunt. »

Abhinc plurimum distat et abhorret Thomas ab opinionibus quibus inserviit Joannes Saresberiensis, et expresse, quanquam aliter multis visum est, damnat tyrannicidium et vehementer respuit, Evangelium præ se ferens : « Et si sit intolerabilis excessus tyrannidis, quibusdam visum fuit ut ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere..... Sed hoc apostolicæ doctrinæ non congruit..... Unde quum multi Romani imperatores fidem persequerentur tyrannice, magnaque multitudo tam nobilium quam populi esset ad fidem conversa, non resistendo sed mortem patienter et animati sustinentes pro Christo laudantur, ut in sacra Thebæorum legione manifeste apparet [3]. »

Nihilominus catholici theologi, decimo sexto seculo, auctoritatem et auspicium Thomæ sibi prætenderunt in hac de occidendis tyrannis quæstione. Quæ scripta ejus usurpabant in deterius commentabantur. Verum est eum in *Commento in libris Sententiarum*

1. Lib. I, c. III.
2. Lib. I, c. VI.
3. Ibidem.

Petri Lombardi illud verbum emisisse, sæpius a fautoribus tyrannicidii citatum : « Qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit laudatur et præmium accipit [1]. » Quibus maxime verbis fulti contendere a Thoma tyrannicidium suasum esse. Hic tamen illa sententia nihil aliud quam explanat laudes quibus Tullius in libro *de Officiis* prosequitur Cæsaris necatores. Illud Thomas notat apud Tullium agi de eo qui vi regnum occupaverit invitis civibus vel ad assentiendum coercitis, quum nullum sit appellandi jus nec ulla legitima ratio qua usurpator judicari possit. Quæ quum ita sint, mirum sane quam caute et parce Thomas rem agat. Dicit enim laudari qui tyrannum occiderit, non vero laudandum esse, præmiumque accipere, non mereri. Adde quod in hoc obiter et superne res attingitur, non penitus perspicitur.

De tyrannicidio disputatio, ineunte quintodecimo seculo, novo quodam fervore redintegratur. Scitum est qua causa chordiger Joannes Parvus instinctus fuerit ad asseverandum jure occidi posse tyrannos. A cæde ducis Aurelianiensis a Joanne Burgundico occisi, insaniente Carolo sexto rege, hæc controversia initium cepit. Joannes Parvus mercede a Burgundorum duce conductus apud regem regaleque consilium advocatus est ad facinus patroni sui verbis purgandum. Historiarum scriptores nobis fusiorem illam et prolixam orationem tradiderunt [2], qua haud minus laudatur Burgundorum dux quam acribus conviciis exagitatur dux Aurelianensis.

Unus tamen exstitit inter Gallicos sacerdotes, doctissimus Gerson, Universitatis Parisiensis cancellarius, qui Joannis Parvi doctrinæ justam inussit labem et damnandam expresse proclamavit. Causam vicit Gerson apud Universitatem et cleros Parisienses. Quo felici successu elatus rem detulit, regis et Universitatis auspiciis, ad concilium Constantiense, ibique plane manifestum fecit Joannis Parvi doctrinas nil prorsus discrepare a Wiclevii opinionibus quæ jamjam a concilio fuissent vituperatæ. Is enim dixerat : « Populares possunt ad arbitrium dominos delinquentes corrigere. »

Post diuturnas disceptationes, quibus interfuere aliquot tyrannicidii fautores, concilium quidquid censuerat Joannes Parvus de

1. Distinct. 44, q. 2, art. 2. Utrum christiani teneantur obedire potestatibus secularibus et maxime tyrannis. — Vide insuper *Summam theologicam S. Thomæ Aquinatis*, secunda secundæ, q. 42, art. 2, in responsione ad tertium argumentum.
2. Monstrelet, c. XXXIV.

tyrannicidio rejecit, sed incertis et laxioribus verbis quinta decima sessione : « Præcipua sollicitudine volens hæc sacrosancta Synodus ad extirpationem errorum et hæreseum in diversis mundi partibus invalescentium providere, sicut tenetur, et ad hoc collecta est; nuper accepit, quod nonnullæ assertiones erroneæ in fide, et bonis moribus, ac multipliciter scandalosæ, totiusque reipublicæ statum et ordinem subvertere molientes, dogmatizatæ sunt; inter quas hæc assertio delata est, *Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias, et subtiles blanditias vel adulationes, nonobstante quocumque præstito juramento seu confederatione factis cum eo, non expectata sententia vel mandato judicis cujuscumque.* Adversus hunc errorem satagens hæc sancta Synodus insurgere, et ipsum funditus tollere, præhabita deliberatione matura, declarat, decernit et diffinit hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide et in moribus, ipsamque tanquam hæreticam, scandalosam, et ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria, vias dantem, reprobat et condemnat. Declarat insuper, decernit et diffinit, quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt hæretici, et tanquam tales, juxta canonicas sanctiones, puniendi [1]. »

1. *Les canons des conciles de Tolède, de Meaux, de Mayence, d'Oxford et de Constance*, 1615, p. 20, sans nom d'auteur, ni d'imprimeur.

CAPUT TERTIUM

DE TYRANNICIDIO APUD MACHIAVELLUM

Errat qui credat medio ævo tyrannicidium raro fuisse rem præsentis et urgentis momenti. Apud nos quidem de hoc non alias fere actum est nisi quum necatus est Aurelianensis dux a Burgundorum duce et ad cædis illius invidiam eximendam. Sed in omnibus regionibus quæ non degebant sub imperio forti ac legitimo, tyranni continuo tyrannos excipiebant, regno alternis vicibus per vim occupato. Hæc erat Italiæ conditio ubi universæ fere civitates, ut olim in Græcia, sese assiduo defendere cogebantur adversus impetus et prava consilia principis cujusdam potentioris, qui sub jugum eas redigere conabatur. Quam vehementer interesset ad vitæ quotidianæ usum et rationem illa de tyrannicidio quæstio satis lucide comprobat a Bartholo scriptus *de Tyranno* liber.

Ille enim, qui quartodecimo seculo vixit, nec civilibus rebus, nec philosophiæ, sed jurisprudentiæ tantum additus fuit, de tyrannide disserit ad jus merum se conferens, et quid sit legitimum in tyranni actis exquirit, et in duas partes digerit quæ *per modum juriscondi-tionis* egerit et quæ *per modum contractus*. Illa illegitima sunt nec diutius valent quam tyranni potestas; hæc vigent et servantur etiam destituto tyranno : scilicet acta politica cadunt, sed pactiones et contractus permanent, qua distinctione sæpius usi sunt in posteriori ætate rerum novarum fautores. Quod si vir ille, observatione et usu rerum formatus jurisque altissima scientia, ejusmodi inivit disputationem, sane fatendum est eum urgentibus ætatis suæ curis et præsentibus commodis inserviisse.

Quoniam de Italia et de Italicis civitatibus mentio facta est, locus est exquirendi quanti momenti et ponderis fuerint decimo

sexto seculo, quoad ad materiam nostram, libri Italici scriptoris, cujus nomen valde inclaruit.

Nicolaus Machiavellus ab omnibus qui medio ævo de rebus civilibus scripserunt longe distat : quippe qui, semota religionis auctoritate, renascentium litterarum gratia, a Græcis et præcipue a Romanis scriptoribus sententias et animi affectus mutuatus sit. In *Orationibus de Livio*, quasi repercussum sonum audias grandium verborum antiquitatis, et sane agnoscas eum qui ad amicum quemdam [1] fortia illa et vivida pronuntiabat : « Sub vesperam, in deversorium me recipio et aulica indutus veste, festo cultu ornatus, atrium ingredior veterum virorum. A quibus benigne exceptus mentem expleo illo cibo qui solus animo meo congruit, ad quem natus sum. Nec me pudet cum eis colloqui atque ab eis exquirere actorum rationes. Mihi respondere dignantur et per totum quatuor horarum spatium nulli obnoxius tædio, curas omnes oblivione supero, nec paupertatem mortemve metuo. »

At non solum religionis sed etiam morum leges prave respuit. Omne frenum excutit et abjicit, omne jugum molestum, et e rerum politicarum scientia haurit artem quamdam vincendi et regendi per vim et dolum. Non quod ipse quid sit bonum honestumve nesciat aut morali sensu sit omnino destitutus, sed æquo et justo politicam rationem præponit felicemque rerum eventum, et commodum publicum. Omni qualibet arte nititur, dummodo propositum finem consequatur; et agendi ratio his verbis definiri possit : Salus populi suprema lex esto. Scelus non in legem usumque redigit, sed pro utili modo habet, quem possis adhibere quoties utilitas et commodum suaserit.

Machiavelli pravitas non minor in *Orationibus de Tito Livio* quam in *Principe*, quamvis inter hos libros a multis quædam suggesta sit distinctio. Semper vim et perfidiam intendit ut propria artis politicæ arma, sive reges, sive liberos cives exhortationibus instiget. Nec tantum eos qui per vim imperium occupaverunt sed et civitatis liberæ fautores monet ad vim et sævitias confugiant. Verum enim vero diversa utrisque proponuntur : illis unius dominatio instituenda, his vero servanda populi libertas, sed ad diversos fines una eademque itur via nullo apud utrosque probitatis respectu. Hæc sunt quibus maxime indulsit inter ejus rationes excerpta : Horrifico quodam ictu terrendi sunt adversarii status, quem civi-

1. Vettori.

tati velis infligere. — Semel et in totum exercenda est sævitia. — Si libertatem confirmare velis, evertendi sunt omnes proceres. — Opprobrio sceleris magnitudo obtenditur.

Quicumque libertatem vere diligunt generosis animi affectibus instincti iracunde invehentur in pravissimas et periculosas Machiavelli sententias, quibus pariter et corruptorum regum artes dolosæ et vitiatæ faventur et insanientium populorum furor, qui cruori effuso immodice indulgent. Per utrumque modum res ad tyrannidem excedit, vel unius, vel multorum. Improbandæ et contemptu exagitandæ sunt doctrinæ istæ ex illis civitatibus Italicis ortæ, ubi quasi effloruit perfidia et sævitia, Machiavelli ætate, et quæ pepererunt famosos istos Sforzas, Borgias et Mediceos.

Ne tamen contemnamus Machiavelli dotes et merita cavendum. Mira in illo est solertia et experientia rerum, quibus clarissimum lumen præfert rationis usu edoctæ. Incredibili sagacitate scrutatus est et penitus investigavit quidquid ad artem tractandorum hominum pertinet. Omnes novit affectus et intimas mentes excussit principum et populorum, qui operam et officia præstiterit civitati liberæ et cum regibus negotia publica procuraverit. A perspectis Romanorum rebus nactus occasionem, quidquid ipse senserit memori animo tenet et ab intima mente expromit, quæ diversæ rationes adhibendæ sint in vario rerum discrimine, et in investigando sagacem se et acutum et nervosum ut qui maxime gerit.

Perfectis igitur Machiavelli libris, nemini mirandi locus erit, quod rerum humanarum arbitri decimo sexto seculo eum tanti fecerint, et quidem potentissimi inter quos Henricus, tertius Gallorum rex, filius Catharinæ Mediceæ Florentinæ, qui secum semper ejus libros gerebat. Inde hauriebant quod maxime exoptabant, non de principiis vacuas disceptationes, sed normas et agendi rationes et de actis commentaria, præcepta monitusque quibus conditionis suæ res difficiles expedirent. Illis erat summi momenti et maximæ ad usum præsentem utilitatis quidquid de conspirationibus explicavit, in sexto capite libri tertii *de Titi Livii Orationibus*. Ex illo perfecto certe majorem percipiebant voluptatem, quam ex pulcherrimis ratiocinationibus et elatissimis philosophorum sententiis [1].

Conspirationes Machiavellus ob prævisa tantum earum pericula improbat. Contendi etiam potest postquam notaverit quidquid temere a consciis effutitum sit, eum præcipere qua ratione res sit

1. Vide P. Janet, t. II, p. 37.

evasura et tyrannicidii quasi disciplinam exhibuisse edocentem quibus artibus tuto tyrannus opprimi possit.

Ut periculis obviam eatur quibus obnoxiæ sunt conspirationes initæ, proditioni scilicet, imprudentiæ et consciorum inconsiderantiæ, Machiavellus præmonet ut rationes consilii conjuratis non ante edantur quam appetat rei patratio. Et exempla profert nonnulla eorum qui hac arte usi propositum ad effectum produxerint. Et subjicit : « Uni tantum amico, et veteri et longo usu perspecto, credas consilium, et qui paribus ac tu moveatur affectibus. Unum facilius ejusmodi invenies quam multos, et ideo cum minore periculo in partem adhibere poteris. Ceterum si forte rem denuntiaverit, ab unius testimonio facilius quam a multorum te eximes. Viros ego sapientes et prudentissimos audivi dictitantes, nihil esse quod non possis impune uni auditori communicare; ab non enim negante, dummodo absint scripta, refutatur unus affirmans. Sed in omnibus rebus cavendum ne quid litteris committas; hic enim summum hæret periculum, nec ullo certius opprimetur argumento reus quam si quid manu ipsius scriptum exhibueris. »

Ad frigidam crudelitatem decurrit in præmonendo quibus periculis sit occurrendum post patratam in tyrannum conjurationem. Unum esse illi videtur periculum si quis superstes fuerit qui necatum principem ulcisci possit. Fieri potest ut exstent fratres, vel pueri, vel cognati, qui principatum postea excipiant a conjuratis imprudenter et negligenter omissi. Nulla sunt illi excusatione digni qui per imprudentiam et negligentiam a cujuslibet vita abstinuerint.

In eodem loco, Machiavellus monitis edocet eos qui in liberam civitatem conjuraverint et patriam in servitutem redigere velint, sive per vim, dolum et astutiam, sive advocatis in subsidium hostibus.

Nec religiosius quam populares et æquales de veneno noster, qui dixerit : Si de conjurationibus disserui, in quibus ferrum adhibetur, non vero de eis in quibus venenum, nihil causæ est præterquam quod in utrisque pari modo eademque ratione res aguntur.

Attamen haudquaquam jure vim ingenii animique dotes ex perspectis ejus rationibus æstimes. Quæ notiones inde oriuntur et latius patent vanæ quidem et fallaces; magna vero vis inest cogitatis arctioribus, quæ numero præstant, quibusque maxime indulserunt viri rebus publicis additi. Quid utile sit ad agendum præcipit summa illos perfundens voluptate. Quicumque mortalium mentes

penitus novit, ut ait Macaulay in Machiavelli descriptione, sane persuasum habet nihil esse vanius quam quod in universum spectet; sed Machiavelli præcepta longe aliter sese habent, et credo vere consentaneis ea affici laudibus si habeantur plane utilia in plerisque rebus vitæ et usus.

Quidquid id est, non in majus proferendum est qua vi Machiavellus suis doctrinis decimo sexto seculo hominum mentes in Gallia et in Europa impulerit. Ejus ratio negationibus tantum fulta nihil sapit, nihil valet nisi ad evertendas medii ævi rationes. Nulla religionis morumve lege tenetur, ut supra confirmavimus; ad usum tantum et experimenta disciplinam intendit humi demissus et aversus ab excelsis mentis affectibus.

Vix subodoratus est recentioris ætatis vividam dimicationem inter regale imperium et popularem libertatem. De libertate more veterum, non sicut homo posterioris ævi, disserit; nec prævidet acres contentiones quæ jamjam orturæ sunt inter populos et principes; nec de jure utrisque proprio mentionem init vel controversiam. Non longe tamen aberat tempus, quo quæstiones illæ summæ agitari deberent et conturbare Europam, Galliamque singulariter; præclusosque imprimis habuit oculos perturbationi illi a religione natæ quæ animos permotura esset et speciem orbis ab integro refectura [1].

1. Vide P. Janet, t. II, p. 121.

CAPUT QUARTUM

DE TYRANNICIDIO APUD ERASMUM, STEPHANUM BOETIANUM ET MONTANUM

Indagemus primum quo modo renovatum litterarum studium induxerit in doctos viros novam quamdam judicandi et sentiendi rationem de regum subditorumque politico jure, sensusque et sermo Romanorum Atheniensiumve usurpari et pertrectari cœperint.

A litteris renascentibus informati sunt liberales et generosi illi viri, qui novas quasi vias aperuerunt et singillatim ac pro se quisque infensis armis lacessiverunt institutionis publicæ vitia, exsortes tamen remedia suggerendi. Inter quos Erasmus, qui acres aculeos intendens audacter nihil non insectatur. Dolore et ira æstuabat mens ejus quum homines et vi et dolis oppressos videret, felicem etiam eventum pro justo habitum et in legis communis locum privilegia vulgo habita. Acuto et ferventi stylo æqualium miserias effingebat et in maximam partem invidiam rejiciebat in regum iniquitatem. Sed non ultra quam incusationes et questus procedebat.

Quocirca in evolvendis *Adagiis* [1] magnum operæ pretium. Ingenita verborum facultate, quam aptissime dixerunt fluminosas disserendi undas, amplificationis immensam ubertatem, in adagio cui inscribitur *Frons occipitio prior* [2], quo significat cuique suum esse agendum, summa vi in reges invehitur : « Quin omnes et veterum et neotericorum annales evolve, nimirum ita comperies, vix seculis aliquot unum aut alterum extitisse principem qui non insigni stultitia maximam perniciem invexerit rebus humanis.....

1. Adagiorum *chiliades quatuor cum sesquicenturia,* in-fol., édit. Robert Estienne, 1558.
2. *Chiliadis primæ, centuria secunda.*

Et haud scio an non nulla hujus mali pars nobis ipsis sit imputanda. Clavum navis non committimus nisi ejus rei perito, quod quatuor vectorum aut paucarum mercium sit periculum; et rempublicam, in qua tot hominum millia periclitantur, cuivis committimus. Ut auriga fiat aliquis discit artem, exercet, meditatur; at ut princeps sit aliquis, satis esse putamus natum esse. Atqui recte gerere principatum, ut est munus omnium longe pulcherrimum, ita est omnium etiam multo difficillimum. Deligis cui navem committas, non deligis cui tot urbes, tot hominum capita credas? Sed istud receptius est quam ut convelli possit. » Alibi exclamat et rabido delitigat ore, Brutorum genus obtestatus : « Miro studio curant tutores ne unquam vir sit princeps. Adnituntur optimates, ii qui publicis malis saginantur, ut voluptatibus sit quam effeminatissimus, ne quid eorum sciat quæ maxime decet scire principem. Exuruntur vici, vastantur agri, diripiuntur templa, trucidantur immeriti cives, sacra profanaque miscentur, dum princeps interim otiosus ludit aleam, dum saltitat, dum oblectat se morionibus, dum venatur, dum amat, dum potat. O Brutorum genus jam olim extinctum! O fulmen Jovis aut cæcum aut obtusum! Neque dubium est quin isti principum corruptores pœnas Deo daturi sint, sed sero nobis. »

Sed nullum certe ad delectationem mirationemque movendam aptius ex Erasmi adagiis ad res publicas pertinentibus quam cui titulus est : *Scarabæus aquilam quærit* [1]. Fabulam refert qua effingitur scarabæus squalidus, deformis, fœtidus et vorax, monachi nempe speciem exprimens, qui ad ulciscendum, aquilæ ova delevit : quo admonet eum qui plus possit infimi cujuslibet sævitiæ esse obnoxium. Nihil unquam scriptum est violentius cruentiusve in regalem dominationem his Erasmi conviciis : « Age, si quis mihi physiognomon non omnino malus vultum ipsum et os aquilæ diligentius contempletur, oculos avidos atque improbos, rictum minacem, genas truculentas, frontem torvam, denique illud quod Cyrum Persarum regem tantopere delectavit in principe γρυπὸν, nonne plane regium quoddam simulacrum agnoscet, magnificum et majestatis plenum? Accedit huc et color ipse funestus, teter et inauspicatus, fusco squalore nigricans. Unde etiam quod fuscum est et subnigrum aquilum vocamus. Tum vox inamœna, terribilis, exanimatrix, ac minax ille querulusque clangor, quem nullum animantium genus non expavescit. Jam hoc symbolum protinus

1. *Chiliadis tertiæ, centuria VII,* 1.

agnoscit, qui modo periculum fecerit, aut viderit certe, quam sint formidandæ principum minæ, vel joco prolatæ..... Ad hunc, inquam, aquilæ stridorem illico pavitat omne vulgus, contrahit sese senatus, observit nobilitas, obsecundant judices, silent theologi, assentantur jurisconsulti, cedunt leges, cedunt instituta; nihil valet fas nec pietas, nec æquitas, nec humanitas..... Ex universis civibus una aquila viris tam sapientibus idonea visa est quæ regis imaginem repræsentet, nec formosa, nec canora, nec esculenta, sed carnivora, rapax, prædatrix, populatrix, bellatrix, solitoria, invisa omnibus, pestis omnium; quæ cum plurimum nocere possit, plus tamen velit quam possit. »

Ad materiam visum est convenire ut Erasmi scripta commemoremus, qui apud omnes gentes litteris additas in omnibus litterarum partibus plurimum inclaruit, adeoque valuit ut de eo tacere non liceat. Aliquid ab eo afflatum et pares fere sententias reperias in plurimis decimi sexti seculi scriptoribus. Inter quos in primis exstat Stephanus Boetianus, Montani sodalis, libelli cujusdam auctor *De servitute spontanea* cui et *Anthenotico* nomen.

Mens ejus effervebat evocatis in memoriam antiquitatis rebus, et commovebatur pectus spectaculo præsentium rerum; a Reipublicæ libere gerendæ fautoribus nonnullas desumit sententias, quas ad actum redigi fortasse cupiisset. Auctor est enim Montanus eum quamvis fuerit fidelissimus suo regi subditus, si copia optandi facta esset, maluisse Venetiæ quam Sarlati se genitum esse.

Sedem Burdigalæ sibi elegerat ubi cupido discendi animo magnæ facultates suppeditabant; ibi totus conversabatur in perlegendis et meditatione fovendis antiquis scriptoribus. Anno 1548, quum octodecim annos natus esset, sed judicio supra ætatem excellens, subito tristis eventus eum a studioso otio amovit et ab assidua Platonis, Aristotelis, Xenophontis, Plutarchi, Tullii, Virgilii, Ovidiique conversatione et ex ingenio quasi scintillam excussit. Quum Burdigalensis civitas seditionem in regem Henricum secundum movisset propter novum vectigal ex salaria annona indictum constabulus Momorantius quam gravissimas ab incolis exegit pænas. Plurimi rebelles publicis triremibus affixi sunt, multique ad pereundum seu laqueo, sive securi, sive flammis damnati, vel vivis aliis membra distracta sunt. Præses Thuanus vivide depinxit consternatam illam urbem cruore madentem, cruciatus instrumentis oppletam, mutamque metu coram sævissimis regiæ ultionis ministris. « Ut vel eo exemplo, ait Thuanus, illud verissimum esse comprobatum sit,

longas principibus manus esse et potestatum seriem, quasi catenis invicem alia aliam connectentibus, universos occulto necessitatis vinculo constringere. »

Luctuosa illa et fœda visu, regisque in subditos cruenta victoria commovere juvenem Græcorum Romanorumque miratorem pro animi ingenua generositate. Oculos avertit a rebellium sceleribus, totus in deflenda popularium sorte atrocibus sævitiis obnoxiorum. Sed omnem indignationis impetum intendit in tyrannidem impotentemque dominationem, excepta et parcius habita ipsius regis auctoritate. Non ad rebellionem spectat, sed ad orandam tantummodo acriter et calide causam humanitatis in oppressores. Libellus Stephani Boetiani primum editus est auctore mortuo, et aliquot annis post diem Sanbartholomæam, in eclogis quibusdam regiæ potentiæ infestis quibus inscribitur : *Mémoires de l'Estat de France sous Charles IX*. Sed Thuanus cum Montano consentiens affirmat eos qui opusculum Boetiani ediderint ad lacessendam regiam potestatem omnino ejus mentem adulterasse.

Nullius religionis motu Stephanus Boetianus impellitur : at philosophiæ tantum additus, juris naturæ patrocinium ferventer suscipit. Ceterum, nonne fuit unquam tempestas, qua tanta indignatio facilius purgaretur. Scriptoris illius verba generosa mente non ægre comprobantur, spectata extremorum Valesiorum cruenta et corrupta tyrannide, dum humana dignitas æternumque jus pedibus fere proculcabantur. Quum ejusmodi cogitationes Boetianus verbis effingit, homines ad libertatem et æquum jus a natura esse creatos asserens, tum nec protestantium nec catholicorum partibus enumerandus est : homo frugi et libertatis amantissimus loquitur.

Confirmat Boetianus si forte servitute opprimantur homines, id sola eorum voluntate effici posse; tyrannum eum solum et unum esse; cives autem in unum universos; tunc quærit quo pacto uni deditum sit humanum pecus : « Souffrir les pilleries, les paillardises, les cruautez, non pas d'une armée, non pas d'un camp barbare, contre lequel il faudroit despendre son sang et sa vie devant, mais d'un seul : non pas d'un Hercules ou d'un Samson, mais d'un seul hommeau, et le plus souvent du plus lasche et femenin de la nation : non pas accoustumé à la poudre des batailles, mais encores à grand'peine au sable des tournois : non pas qui puisse par force commander aux hommes, mais tout empesché de servir vilement à la moindre femmelette. » Hæc fervida convicia sane congruenter ad Henricum secundum spectant, scenicum illum regem, debilem

et superbum, quem vinctum moderabatur delibuta manus Dianæ Pictavensis; illum eumdem bellatorem qui jamjam casurus esset inglorius inexercitati cujusdam telo familiaris.

Sæpius Stephanus Boetianus contendit et jus esse et decus in occidendo tyranno; sed exempla sua ab antiquis excerpit. Primum Catonem Uticensem laudibus extollit gladium requirentem ad Syllam necandum : « Caton l'Utican, estant encores enfant et sous la verge, alloit et venoit souvent chez Sylla le Dictateur, tant pour ce qu'à raison du lieu et maison, dont il estoit, on ne luy fermoit jamais les portes, qu'aussy ils estoyent proches parents. Il avoit tousjours son maistre quand il y alloit, comme avoyent accoustumé les enfans de bonne part. Il s'apperceut que dans l'hostel de Sylla, en sa présence, ou par son commandement, on emprisonnoit les uns, on condamnoit les autres, l'un estoit banny, l'autre estranglé, l'un demandoit le confisq d'un citoyen, et l'autre la teste. En somme, tout y alloit, non comme chez un officier de la ville, mais comme chez un tyran du peuple, et c'estoit non pas un parquet de justice, mais une caverne de tyrannie. Ce noble enfant dit à son maistre : « Que ne me donnez-vous un poignard? je le cacheray sous « ma robbe. J'entre souvent dans la chambre de Sylla, avant qu'il « soit levé. J'ay le bras assez fort pour en depescher la ville. » Voyla vrayement une parole apartenante à Caton. C'estoit un commencement de ce personnage digne de sa mort. »

Alibi paribus laudibus prosequitur Harmodium et Aristogitonem, Thrasybulum, priorem Brutum, Valerium, Brutum minorem et Cassium his verbis : « Qui voudra discourir les faits du temps passé et les annales anciennes, il s'en trouvera peu, ou point, de ceux, qui voyans leur pays mal mené, et en mauvaises mains, ayans entreprins d'une bonne intention de le délivrer, qu'ils n'en soyent venus à bout, et que la liberté, pour se faire apparoistre, ne se soit elle-mesme fait espaule. Harmode, Aristogiton, Thrasybule, Brute le vieux, Valère et Dion, comme ils ont vertueusement pensé, l'exécutèrent heureusement. En tel cas quasi jamais à bon vouloir ne defaut la fortune. Brute le jeune et Casse ostèrent bien heureusement la servitude, mais en ramenant la liberté, ils moururent, non pas misérablement. Car quel blasme seroit-ce de dire, qu'il y ait rien eu de misérable en ces gens-là, ny en leur mort, ny en leur vie? Mais certes au grand dommage et perpétuel malheur et entière ruine de la République, laquelle certes fut, comme il me semble, enterrée avec eux. »

Nostri auctoris judicio, unum necessario quærendum est si quis jure et annuentibus legibus velit tyrannum opprimere, ut eis qui tale facinus susceperint restituenda libertas proponatur. Qui vero in imperatores Romanos conspirationes moliti sunt et expellendum tyrannum animo destinabant salva ipsa tyrannide : « A ceux-là je ne voudroy pas mesme qu'il leur en fust bien succédé, et suis content qu'ils ayent monstré par leur exemple, qu'il ne faut pas abuser du sainct nom de la liberté, pour faire mauvaise entreprise. »

Non a circumstantibus, non ab æqualium incitatione animos illos ardentes hausit. Quo impulsu igitur effrenatum illum concepit libertatis amorem, quæ a multis annis amissa plane e memoria excidisse videbatur nedum desiderium sui faceret? ab antiquis nempe instinctus est. Quo tempore scripsit Boetianus veterum litteræ emicuerant quasi renascentes, earumque miro studio fervebant animi ; novique suscitabantur sensus ab æterna natura orti sed ævi longinquitate obsoleti, et in posteriorum mentes infigebantur præteritorum seculorum affectus qui in libris vigebant quotidie editis. Ita Boetianus antiqui viri habitum sumpserat ab historicis, philosophis, poetisque desumens amorem illum libertatis quo omnes pariter flagravere. Tyranni cædes laudibus ab illis elata ab eo vituperari non poterat.

Ne tamen existimes ab illo facile probatam fuisse cædem regis vel principis ætatis suæ crimine tyrannidis oppressi. Intima ejus conscientia et merum de hac re judicium ex clausula orationis erumpit qua Deum obtestatur ut pœnas a tyranno post hanc terrestrem vitam exigat. Identidem sententiam suam exegerat Erasmus : « Levons les yeux vers le ciel, inquit Boetianus, ou bien pour nostre honneur, ou pour l'amour de la mesme vertu, à Dieu tout-puissant, asseuré tesmoin de nos faicts, et juste juge de nos fautes. De ma part, je pense bien, et ne suis pas trompé, puisqu'il n'est rien si contraire à Dieu tout libéral et débonnaire que la tyrannie, qu'il réserve bien là-bas à part pour les Tyrans et leurs complices, quelque peine particulière. »

Ceterum curavit ne in lucem proferretur libellus *De servitute spontanea;* ac postea regiæ et catholicæ factionis fautoribus sese addixit, latinoque carmine celebravit cardinalis Lotharingi Meudonensem speluncam, et eloquenter pectoris luctum expressit quo die Franciscus Guisius a Politroto Mereo plumbo ictus occubuit.

Post institutam de Stephano Boetiano commentationem, non deceat de Montano tacere quocum arctissima familiaritate conjunctus erat.

Libertatis amorem non pari studio caloreque ille exprimit, nec quid de tyrannicidio censeat profitetur; sed affirmari potest eum in perfidiam sævitiamque infensum sane a cæde principum abhorruisse. De qua tamen nimis forsan frigide eloquitur in conferendo Balthasarem Gerardum, qui Arausionensem obtruncaverat cum Politroto Mereo : « Certes il y employa une main bien déterminée et un courage esmeu d'une vigoreuse passion. Un poignard est plus seur pour assener, mais d'autant qu'il a besoing de plus de mouvement et de vigueur de bras que n'a un pistolet.... [1] »

Tanta reverentia Montanus habebat politica instituta, reges et magistratus, ut non potuerit non dissidere a doctrina seditiosa tyrannicidii. Attamen in ejus scriptis aliquid eminet ex antiquorum sententiis afflatum. Nempe negat a Seneca ultro vel libera mente improbatos esse generosos illos Cæsaris interfectores et Brutum habet eximium virtutis exemplar [2]. Verum enim Cæsar nec princeps, nec magistratus legitimus erat.

1. Lib. II, c. XXIX.
2. Lib. II, c. X.

CAPUT QUINTUM

QUID DE TYRANNICIDIO PRIMO INGRESSU SENSERINT PROTESTANTES

Primo ingressu Reformatio religionem tantummodo præ se fert, nec ad publicarum rerum habitum spectat, aut institutum ordinem commutandum. Quod plane intelligi potest ex perspectis libris quos ediderunt duo egregii protestantium principes, Lutherus et Calvinus.

Lutherus conviciis prosequitur rebelles rusticos Germaniæ et eos ad toleranda submisse mala hortatur quamvis illi justissimis questibus invehantur in durum dominorum servitium. Evangelii secundum Matthæum hæc verba commemorat : « Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam..... Ego autem dico vobis, non resistere malo : sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. » Miranda certe verba, sed duriora gementibus, et quibus plane nobis liquet quantum intersit inter religiosum ineuntis Reformationis flatum et philosophicum animum quo postea instincta est. In *Sermonibus cœnatoriis* [1], Lutherus expressius mentem suam aperit, dictitans se non imperatori sed papæ gladium eripere, illo Christi præcepto obtestato : Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari et quæ sunt Dei Deo. Et quoad tyrannicidium, cuivis privato non licere tyrannum cædere Lutherus asseverat, secundum illud Dei mandatum : Non occides.

Eamdem præ se gessit modestiam Calvinus et indesinenter ex officio esse legibus publicis parere et auctoritati magistratuum suasit. Totus in instituenda ecclesia, magisque fretus martyrum et prædicantium virtute quam militum manibus, censuit Reformationi non esse declinandum a mera religione nec ambitioni principum aut

1. Vide, apud Michelet, *Mémoires de Luther*, t. II, p. 243.

factionum controversiis inserviendum. Quæ fortiter professus est coram Augustanis comitiis invictam illam cuncta perpetiendi voluntatem iterum expresserunt : « Moriemur, sed in morte victores erimus. »

In vigesimo *Institutionis christianæ* [1] capitulo, quod de re publica gerenda disserit et quasi politicam professionem expromit, sed professionem ad Franciscum primum Gallorum regem directam cujus gratiam causæ suæ et patrocinium conciliare cupiebat, ad Deum ipsum institutionem regiæ potestatis refert : « Ea enim significatur, mandatum a Deo habere, divina auctoritate præditos esse, ac omnino Dei personam sustinere, cujus vices quodammodo agunt. *Non humana perversitate* fieri ut penes reges, præfatos alios sit in terris rerum omnium arbitrium, sed divina providentia et sancta ordinatione : cui sic visum est res hominum moderari. »

Ab illa Pauli voce exorsus, « Omnis potestas a Deo », inter diversos civitatis gerendæ habitus nullum omnino discrimen habet : « Præterea inter ipsos magistratus tametsi variæ sunt formæ, nullum tamen discrimen hac in parte est, quin pro Dei ordinibus suscipiendæ a nobis omnes sint. Nam omnes simul complectitur Paulus, quum ait non esse potestatem nisi a Deo : et quæ omnium minime arridebat, eximio præ aliis testimonio commendata est, nempe unius potestas : quæ quia publicam omnium servitutem secum fert (excepto uno illo cujus libidini omnia subjicit) heroicis et excellentioribus ingeniis minus olim approbari potuit. At Scriptura, quo iniquis istis judiciis occurrat, divinæ sapientiæ providentiam esse nominatim affirmat quod reges regnant : et peculiariter regem honorari præcipit. »

Attamen inter monendum christianis esse parendum potestatibus quibuslibet sive justis sive iniquis, seu imperiosis seu aliquo legum moderamine temperatis, et in terra Dei dæmonisve partes agentibus, Calvinus, in absolvendo de civili regimine capite, aliquid excipit quod totam rem redarguit et institutam normâm gravissime offendit ut funditus pæne eruat. « At vero in ea quam præfectorum imperiis deberi constituimus obedientia, id semper excipiendum est, imo imprimis observandum, ne ab ejus obedientia nos deducat, cujus voluntate regum omnium vota subisse, cujus decretis jussa cedere, cujus majestati fasces submitti par est. Et vero, ut hominibus satisfacias, in ejus offensionem incurrere propter quem

1. Calvini, *Christianæ religionis Institutio*, Lugduni Batavorum, 1654.

hominibus ipsis obedias, quam præposterum fuerit? Dominus ergo rex est regum : qui ubi sacrum os aperuit, unus pro omnibus semel ac supra omnes est audiendus : iis deinde qui nobis præsunt hominibus subjecti sumus : sed non nisi in ipso. Adversus ipsum si quid imperent, nullo sit nec loco nec numero. »

His ex verbis non aliunde excutiendum est principium et fons protestantium rationis; ab illo semine ortum est discidium inter reformatam religionem et regium imperium, odiaque et certamina quæ maximis auctibus in posterum tempus creverunt. Ex illo præcepto quasi ex fonte communi emanaverunt et deterrima scelera et virtutis constantiæque nobilissima acta. Quod si extollat mentem humanam et virtutem obtemperationemque legibus divinis in summam quasi arcem seponendo ut ab assultibus humanæ potentiæ in tuto sint, aliquid certe inest et nobile simul et æquum. Sed si sublimia illa præcepta deciderint in turbulentum ævum pravisque artibus additum, furentibus cupiditatibus et depravatæ religioni arma ministraverint, ambitionique prætenderint excusationem. Quod effectum est decimo sexto seculo per civiles religiososque motus quibus agitata est illa ætas. Ab illa Calvini sententia et factiosa nobilitatis consilia originem duxere, cædesque ortæ sunt ut argumento est Franciscus Guisius occisus a Politroto pariter et sublimis Colinii [1] mens virtutesque eximiæ multorum protestantium et integerrimi mores.

Scitum est quantumvis conati sint reformatæ religionis arbitri et doctores ut sibi gratiam principum et magistratuum conciliarent, plerumque ad dimicationem et discordiam rem venisse. Religionis enim proprietas aliquid demum præ se gerit libertatis politicæ. Ubi subditus civis nullius est momenti, qui fieri potest ut conscientia ejus et intima mens magni sit? Ad hoc in civitate alienæ auctoritati subdita qua ratione possit exsistere ecclesia libera et sui compos? Illa ex positis principiis necessario consequi Reformatio citissime animadvertit et inde effectum est ut a regia potestate alienata sit. Simul litterarum veterum redintegratum studium, et assidua cum antiquis scriptoribus conversatio, operumque pertrectatio moralium politicorumque, Platonis, Aristotelisque, historicorum et oratorum, studiosaque monumentorum et originum historiæ nostræ investigatio, ac præcipue sacrosanctæ Scripturæ, novum quemdam

1. In hac thesi, latinam versionem secuti sumus nominum propriorum quæ in Thuani *Historiarum* libris continentur.

sensum, novamque rerum publicarum rationem peperere, et animos ferociores ac populorum libertati impensius faventes : quæ quum diutissime in animis parturientibus refocillata essent, aliquando eruperunt et furiose post Bartholomæam diem debacchata sunt [1].

Ceterum quamdiu theologorum inspiratione et auspicio res gestæ sunt reformationis, pax agitabatur; in propaganda fide et alliciendis persuasione animis omnem operam impendebant, negligenterque aliis et mercedes et fructuosa munera et auctoritatem in regiis popularibusve consiliis condonabant. Sed quum procurandis novæ religionis rebus præpositi sunt Navarrus et Condæus, nova concepta, novique instinctus prævaluere. Artifices, privati cives, clerique humiles vel litterarum alumni ad supplicium proripi potuerant non repugnantes; sed nobiles illi viri gladium, qui in promptu esset, in otio torpere non sustinuerunt et ad Dei causam defendendam eduxerunt.

Necessario bellum ex libidinum concursu et cupiditatum conflagratione orturum erat. Quæ hactenus religiosa fides fuerat, politica factio evasit, et Reformatio mutatis ultro moribus quod consequi debebat subiit, magno quidem suo damno. Illud instare præviderat Calvinus : simul atque gladii destricti sunt, substitit nec latius progressa est nova doctrina, quumque multis abhinc annis plurimi fuissent qui se illi addixissent, jam fere nulli fuerunt, quique ad hæreticas opiniones transgredi acriter sustinuissent, a rebellando abhorruerunt. Humiles viri et pacis artibus devoti, qui avidissimis auribus prædicantium præcepta exceperant, suspectos habuere nobiles, novos religionis suasores bellico pulvere fuscatos et ferro vestitos.

Quacumque ratione res sese gesserit, armis infensis decertatum est post initum Ambosianum tumultum, qui primum protestantibus et noxæ fuit et detrimento. Post horrendas trucidationes Ambosianas, Vassiaci strages a Francisco Guisio patrata in inermes calvinistas, qui rebus divinis peragendis intenti erant, impulit ad rebellandum quasi signo dato primores nobilitatis, principem Condæum et Colinium; et tunc ortum est cruentissimum e civilibus posteriorum temporum bellis. Peropportune in catholicos æque ac protestantes intendi potest et transferri ferox illud et vehemens carmen quo catholicus Ronsardus calvinistas insectatus est; nam utrique pariter tuebantur et prædicabant.

1. Vide P. Janet, t. II, p. 154-155.

.... Une doctrine armée,
Un Christ empistolé, tout noirci de fumée,
Qui, comme un Méhémet, va portant en la main
Un large coutelas rouge de sang humain.

Primos fuisse protestantes non infitiandum est qui tyrannicidii doctrinam et laudibus extulerint et ad effectum redegerint. Post Vassiacenam lanienam, sævissima odia in ducem Guisium æstuare, et factionis infensissimus quisque fautor jam tum necandum esse tyrannum tota mente tendere fovereque, non quidem illa nece qua miles militem in honesto certamine interimit, sed omni qualibet ratione et modo. Cruentis moribus Hebræorum magis magisque cedebat apud calvinistas Evangelii mens. Multi fuere qui evolvendis sanctis Scripturis inflammati et obcæcati destinatos sese crediderint ad excipiendas Aod vel Jahel partes. Multa consilia inita fuerant nec patrata, quum Franciscus Guisius a Politroto ictus morte occubuit, ante oppidum Aurelianense quod tunc obsidebatur, 1563 anno.

Ad auditum tantæ cædis nuntium, catholici exanimati lugubria induere vestimenta et ad internecionem trucidandos esse hæreticos irrogare; protestantes contra ex Aureliani muris jamjam liberatis ovanti clamore lætitiam significare et novas sævitias minitari. A protestantibus Politrotus cum Bruto componitur Scævolaque vel David qui Goliam occidit. Calviniani scriptores circumstantium ardorem et impetum secuti cæli regiam illi sine ullis ambagibus aperiunt, factum ut heroicum prædicant, et corona non modo in terris gloriosa qualis Romanis ducibus post victoriam tribui solebat, sed etiam in cælis æterna qualem Christus suis martyribus rependit, dignum pronuntiant. Iidem Guisium in inferos detrudunt conviciisque insectantur, proditoris eum tyrannique nomine infamantes.

Igitur a protestantibus decimo sexto seculo primis legitimam habitam fuisse cædem nulli dubitandum. Ceterum catholici in posterum nihil illis hac de re impares fuere.

CAPUT SEXTUM

DE TYRANNICIDIO APUD POETAS

Quasi duo gentes in ejusdem patriæ finibus acerrimis instinctæ odiis catholici et protestantes versabantur, illud tantum animo moliti quibus modis aperto cæcove bello opprimeretur hostis; par utrinque contumacia et impotentia; pariter utrique propensi ad vim inferandam ut hostem protererent.

Quid deterius et atrocius exstitit unquam quam famosa illa laniena quæ die Sanbartholomæa vias Lutetiæ noctu cruentavit? Ad quam illos Statii Papinii versus in dispari re accommodavit nobili motus indignatione Michael Hospitalius :

> Excidat illa dies ævo, nec postera credant
> Secula : nos certe taceamus, et obruta multa
> Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis.

Doctrinam Machiavellique præcepta Catharina Medicea Florentino genere suscepit in facinus illa die vertenda. Protestantes illud non fugit et eorum scriptores postea invehentur in Machiavelli rationem politicam regiorumque ejus discipulorum.

Illud cruentum facinus publica vi perpetratum sævissimeque vexata religionis proprietas aculeos iratis protestantium animis subdidit et ad repugnandum incitavit. Scelere enim et cædibus homines possis opprimere : sed ab omni violentia et a nece in tuto sunt ut intima mentis concepta sic factiones. Ab illa die Sanbartholomæa, quasi signo dato, effusius eruperunt libelli vindices; et bellum acuto calamo haud minus quam infensis armis agitatum est.

Ut Burdigalense excidium Stephani Boetiani libellum *de Servitute spontanea* liberaliores sensus spirantem excusserat, ita San-

bartholomæa laniena exprompsit plurimos libros a calvinianorum manibus : qui omnibus cruciatibus vexati exsilioque mulctati, sublata prædicandi facultate, scriptis et editis libris pro fide sua propugnaverunt.

Inter quos poetis primæ partes tribuendæ sunt, quorum carmina longe lateque pervadebant ab omnibus recitata et fusius explanata, eoque magis quod miro quodam casu duo fuere nobili loco viri, Guillelmus Sallustius Bartasius et Agrippa Albinius, qui acerrima eloquentia indignationem expresserunt, ultionemque exigendam in sævitias quibus sui fuerant obnoxii irrogavere, et fortiter pro sua causa et calamo et ense decertaverunt.

Fatendum est tamen poetas calvinianos quum politicis et religiosis cupiditatibus carminum stimulos subderent, nihil aliud quam pravas artes et exemplum catholicorum imitatos. Quis enim nescit Ronsardum, Gallicorum poetarum principem, sæpe deterrimo odio in protestantes indulsisse et ad sævissima convicia fuisse invectum, discipulosque ejus magistri habitum et modos retulisse? Satis sit commemorare quanta contumacia, parum christiano viro digna, optaverit amiralis Colinii necem, et trucidandos esse protestantes contenderit his verbis :

Dieu tout grand et tout bon, qui habites les nues,
Et qui cognois l'autheur des guerres advenues,
Dieu qui regardes tout, qui vois tout et entens,
Donne, je te suppli', que l'herbe du printemps
Si tost parmy les champs nouvelle ne fleurisse,
Que l'autheur de ces maux au combat ne périsse,
Ayant le corselet d'outre en outre enfoncé
D'une pique ou d'un plomb fatalement poussé;
Donne que de son sang il enivre la terre,
Et que ses compagnons au milieu de la guerre
Renversez à ses pieds, haletans et ardens,
Mordent dessur le champ la poudre entre leurs dens [1].

Quum vero Colinii per insidias et proditionem interempti cadaver ad furcas Monfalconias cruribus in altum sublatis et propendente corpore ferreis catenis suspensum est, idem in illas alacres voces lætus erumpit, in primo *Hymnorum* libro :

Ce guerrier qui tantost
Terre et mer d'un grand ost

1. *Discours des misères de ce temps.* Carmen illud in lucem primum prodiit Parisiis apud Guillelmum Buon, anno 1563. — Vide *Œuvres complètes de P. de Ronsard,* édition Prosper Blanchemain. Paris, 1866, t. VII, p. 80 et 81.

Couvrait de tant de voiles,
Court de teste et de nom,
Pendille à Mont-faucon :
Ainsi vous plaist, Estoiles [1]!

Ultro etiam processit Ronsardi amicus et discipulus, Janus Antonius Baifius, et longius sævitiam impotentiamque magistri prætergressus est, qui in deterrimo carmine de Gaspardi Colinii corpore in pavimento jacentis hæc atrocia verba emiserit [2] :

Gaspar, tu dors ici, qui soulois en ta vie
Veiller pour endormir de tes ruses mon Roy;
Mais lui, non endormi, t'a pris en desarroy,
Prévenant ton dessein et ta maudite envie,
Ton âme misérable au dépourvu ravie....

Post illas incitationes minime ambiguas, post laudes impensius adhibitas celebrandis Sanbartholomææ diei cædibus, nil mirum quod poetæ calviniani sua vice religiosas cupiditates apud reformationis fautores incitaverint.

Unus in primis et clarissimis fuit Bartasius, *Hebdomadis* auctor, qui græcum latinumque sermonem, ut Ronsardus, in gallicam linguam intrudit. E scripturis sententias et mentis affectus haurit præcipue in carmine *Judith* vocato, quo Holophernum occisum enarrat et celebrat.

Obiter notandum est primum fuisse opus illud in quo fabula e sacris historiis orta gallico sermone tractata sit. Austero sententiarum excelsoque habitu et plane Scripturis digno Bartasius laudes promeruit, quibus mortuus celebratus est in funebri lapide inscriptis : *Qui Musas ereptas profanæ lasciviæ sacris montibus reddidit; sacris fontibus aspersit; sacris cantibus intonuit.*

Judith poema uno tenore decurrit, in sex libros divisum, et passim heroico quodam flatu inspiratur, nulla tamen aut non ita magna rerum excelsitate. Materia auctori suggesta erat a Joanna Navarri regina, ut ipse refert; qua mortua ante editum librum Margaritæ Gallicæ Navarri reginæ poema dicavit, quæ Neraci tunc in aula commorabatur. Ipse Bartasius Auscitanus erat et cuilibet haud ignoranti quanta venustate, quantis illecebris floreret illa

1. Édition Blanchemain, t. V, p. 151.
2. Vide carminum librum cui inscribitur *Passe-temps* a Baifio editum anno 1574. Parisiis, apud Lucas Brayer.

tempestate aula Neracensis, mirandi locus est stylo ejus et carminibus defuisse et leporem et elegantiam, nonnihil vero inesse rudis et mendosi.

Bartasius Judith inducit exemplaria sacra cupide versantem, dum Holophernus Bethuliam obsidet, et incalescentem quoties legendo attingit laudatum Aod in occidendo Eglon, vel Jahel in caput Sisaræ clavum adigentem.

Cet exemple dernier si fort encouragea
La craintive Judit, qu'elle eut voulu déjà
Tremper au sang païen la vangeresse lame,
Pour d'un cors si méchant chasser la méchante âme [1].

In ultima poematis parte effingit auctor heroicam mulierem intima mentis contentione et diversis affectibus exagitatam, quum jamjam appetit patrandi facinoris tempus in Holophernum vino sopitum. Qui locus inter omnes potissimum proferendus nobis esse videtur, ut maxime ad rem propositam consentaneus :

Mais le cœur de Judit, qui sans cesse ba-bat,
Sent dans soi tout d'un coup naître un cruel combat,
Qui fait qu'ore la peur son saint devoir surmonte,
Et qu'ore le devoir la peur tramblante donte.
. . . .
Tu veus donc profaner l'hospitalité sainte?
Ce n'est la profaner : plus sainte elle sera,
Quand pour elle ma main les saints garentira.
Mais sans honte jamais le traître ne peut vivre?
Traître est cil qui trahit, non qui ses murs délivre.
Mais contre les meurtriers le ciel est irrité?
Tout home qui meurtrit n'est meurtrier réputé.
Hé! n'est-il pas meurtrier cil qui meurtrit son prince?
Holoferne est tyran, non roi de ma province.
Mais quoi? Dieu maintenant le nous done pour roi?
Celui n'est point de Dieu qui guerroie sa Loi.
Tous peuvent être donc des tyrans homicides?
Jahel, Ahod, Jehu furent tyrannicides.
Voire, mais il leur fut commandé du Seigneur?
D'une pareille Loi je sen forcer mon cœur.
Las! pour faire un tel coup ton bras a peu de force.
Asses fort est celui que l'Éternel renforce.
Mais aïant fait le coup, qui te garentira?
Dieu m'a conduite ici, Dieu me remenera.

1. Les *Œuvres* de G. de Saluste, seigneur du Bartas, reveues et augmentées par l'autheur. Paris, chez Gabriel Buon, au clos Bruneau, 1579.

Que si Dieu te délivre ès mains des infidèles?
Mort le duc, je ne crein les morts les plus crueles.
Mais quoi? tu souleras leur impudicité?
Mon cors peut être a eus, mais non ma volonté.

Talia ad laudandum tyrannicidium expressa magis lucida erant quam ut ab æqualibus notata non fuerint et alte omnium mentes commoverint. Fuere qui Bartasium vituperaverint quod invidiam et capitis pericula in reges carminibus intentaret; ille quidem sine dubio excusandum judicavit quidquid modum excederet, eoque defunctus est officio in præmonendo lectore, poetæ quidem et nobilis viri adhibita libertate. Ambages enim projicit, nec subtilibus distinctionibus, ut theologorum alumnus, se tuetur, nec antiquorum Scripturæve auctoritate. Ne quis perverse hospitii jure vel amicitia abutatur vetat quo facilius tyrannum opprimat; inde eminet generosa mentis indoles. Quam studiosissime disquirendum præcipit num a Deo vere oriatur consilium et tunc tantum cædi tyranni annuit laudesque impertitur. Hæc sunt ceterum quæ ipse pronuntiat : « Je ne veus oublier que ceus la me font grand tort, qui pensent qu'en décrivant la catastrophe de ceste histoire vraiment tragique, je me soi rendu volontaire avocat de ces esprits brouillons et seditieus, qui pour servir à leurs passions, témérairement et d'un mouvement privé conjurent contre la vie des princes, qui pour leurs cruautés, exactions insupportables, et débordemens domestiques, se sont comme dégradés du vénérable et sacré titre de Royauté. Car tant s'en faut que j'estime que cet exemple et ses semblables doive être tiré en conséquence : que mesme je me persuade que l'acte d'Ahod, de Jahel, et de Judit (qui sous couleur d'obéissance, et prétexte d'amitié jetèrent leurs mains vengeresses sur Eglon, Zizare, et Holoferne) eut été digne de cent potances, cent feus, et cent roues, s'ils n'eussent été peculierement choisis de Dieu pour délier les chaînes et rompre les ceps qui retenoient le peuple Hebrieu en une servitude plus qu'Égyptienne, voire expressement apelés pour faire mourir ces tyrans, d'une mort autant ignominieuse, que leur vie avoit été méchante et abominable. Mais pour ce que cette question est si difficile, qu'elle ne peut estre expliquée en peu de paroles : et que mon cerveau est trop debile pour une si haute volerie : je la renvoye à ceus qui ont employé beaucoup plus d'huile et de tans à feuilleter les volumes sacrés; que je n'ay fait pour encore. Il me suffira pour ce coup d'amoneter le lecteur de n'atanter rien sans une claire et indubitable voca-

tion sur la vie de ceus que Dieu a élevés sur nous. Et surtout de n'abuser de l'hospitalité, amitié, parentele, et autres sains liens, pour doner lieu à ses frénétiques opinions, et abolir une prétendue tyrannie. »

Sub idem fere tempus, in vicinitate Neraci, apud Castellum Gelosum, anno 1577, Albinius gravi confossus vulnere et jamjam se moriturum credens in speciem testamenti prima carmina dictavit, quæ posterius in otio absolvit et in lucem anno tantum 1616 prodenda curavit *Tragicaque* appellavit. Dum in lecto detineretur mœsto animo reputans quæ futura esset Protestantium fortuna, quam acerbissime angebatur cruenta certamina respiciens, et memori animo repetens turpia quæque et fœda quibus interfuisset. Indignationem animi ferocis et indomiti accendebat si quid esset iniquum perpessus vel durius expertus. Quidquid viderat et prætereundo transierat resurgebat et mentem præstringebat quasi immanis tragœdiæ acta in quibus tyranni et fideles Deo teste et arbitro sævissime inter se decertabant. Hæc omnia depinxit vivida et salebrosa, ampla et præfulgenti eloquentia.

Nemo aptius quam Albinius Tyrtæi partes apud Calvinianos agere potuisset. Nefanda res oculis subjecta teneram ejus mentem vivide commoverat : annos novem natus quum fugientem patrem comitaretur ante muros castelli Ambosiani substitit, ex quibus pendebant cæsa conjuratorum capita. Pater oculos lacrimis suffusos et manus intendit ad horrenda illa civilium furorum monumenta, et jurejurando puerum obstrinxit ut æterno odio omnes fidei inimicos insectaretur. Quod a puero juratum, Annibalis more, adultus non oblitus est. Quoties protestantes infensis armis in campum prodiere, primus ille in equum insilire et quæ pars hostium confertissima videretur in eam ferro irrumpere, et sub vesperam vixdum sedatis prœlii rumoribus, cruore et pulvere respersus, alacrem cantum componere vel vividam ad crastina prœlia hortationem.

Mira ingenii facultate in septem *Tragicorum* libris effingit renidentes illas personas, Mosem, Gedeonem, Machabæos, Colinium, vexati populi defensores, et contraria parte invisas species et teterrimas, Pharaones, Heliogabalum, Neronem, Carolum nonum, Henricum tertium, Catharinam Mediceam, alteros ex altissimis antiquitatis hebraicæ romanæve annalibus evocatos, alteros ex præsentis ætatis arena excussos, æstuantem mentem quasi per somnium confuse præstringentes.

Quædam e *Tragicis* manu excerpta in castris protestantium

pervadebant et Albinius alacriter ea recitabat ut suorum iras exacueret, sed diu cunctanter secum deliberavit an opus typis mandaret; haud ignorabat enim quantam invidiam quantasque sævitias in se esset excitaturus infensis illis conviciis, quibus immodice læserat et in contemptionem adduxerat potentissimos ætatis suæ viros, procaciter insectatus catholicorum fidem et aulicorum vitia et principes et tyrannos.

Ex *Tragicis* vividissime erumpunt habitæ apud protestantes decimo sexto seculo ad libertatem instituendam doctrinæ. Inepte tamen dixeris Albinium amicum fuisse reipublicæ quam in partem nunc talis usurpatur vox, sed certe civitates optimatium arbitrio rectas quales plurimæ decimo sexto seculo florebant opinione et votis fovebat. Quamvis ipse in *Epistola ad lectores* præfatur sese adhuc ab edendo opere abhorruisse metuentem ne nomen obiret « de turbulent et de républicain », quamvis dictitet reperiri in suis scriptis « plusieurs choses contre la tyrannie et nulle contre la royauté », nihilominus asseverendum est in *Tragicis* regis nomen semper idem significare ac tyranni. Hæc sunt quæ ad mentem ejus explanandam proferre possis loca e *Tragicis* excerpta :

Nos rois ont appris à machiaveliser,
Au temps et à l'estat leur ame deguiser,
Ployans la pieté au joug de leur service,
Gardans religion pour ame de police.....
Ceux-là règnent vraiment, ceux-là sont de vrais rois
Qui sur leurs passions establissent des lois;
Non les monstres du siècle et du temps où nous sommes [1].
. . . .
Jadis nos rois anciens, vrais pères et vrais rois,
Nourrissons de la France, en faisant quelquesfois
Le tour de leur païs en diverses contrées,
Faisoient par les citez de superbes entrées;
Chacun s'esjouissoit, on sçavoit bien pourquoi;
Les enfants de quatre ans crioient : Vive le Roi!
. . . .
Nos tyrans aujourd'hui entrent d'une autre sorte.
La ville qui les void a visage de morte;
Quand son prince la foulle, il la void de tels yeux
Que Néron voioit Romm'en l'esclat de ses feux.
Quand le tyran s'esgaie en la ville où il entre,
La ville est un corps mort, il passe sur son ventre [2].

1. *Les Tragiques,* édit. Ludovic Lalanne. Paris, chez P. Jannet, 1857. — L. II, *Princes,* p. 97.

2. *Ibid.*, l. I, *Misères,* p. 48.

Nullum fere versum reperias in quo non ferveat odium poetæ Calviniani; semper invocat Albinius Dei ultoris iras, et protestantium mentem fidus imo acerbus interpres effingit, et scriptis suis factionis suæ affectus exprimit. Novis indulget doctrinis quæ multas impulerant civitates, inter quas Rupellam, ad abrogandam regalem auctoritatem liberamque et sui juris administrationem instituendam. Temporum illorum depravata mens in hoc præcipue deprehenditur quod exspectata ultio inter religionis solatia admitteretur. Summa cum lætitia protestantes vexati in *Tragicis* legebant, quæ carmina Veteris Testamenti quasi repercussam imaginem proferebant, quantis afflictarentur pœnis tyranni, avidisque auribus hauriebant prophetarum minitantes voces, et ipsi alacriter voce contenta illas preces pronuntiabant, quibus claudit Albinius miserias Galliæ protestantis descriptas :

Que ceux qui ont fermé les yeux à nos misères,
Que ceux qui n'ont point eu d'oreille à nos prières,
De cœur pour secourir, mais bien pour tourmenter,
Point de main pour donner, mais bien pour nous oster,
Trouvent tes yeux fermez à juger leurs misères,
Ton oreille soit sourde en oyant leurs prières;
Ton sein ferré soit clos aux pitiés, aux pardons,
Ta main sèche, stérile aux bienfaits et aux dons.
Soient tes yeux clair-voians à leurs pechez extrêmes,
Soit ton oreille ouverte à leurs cris de blasphèmes,
Ton sein déboutonné pour s'enfler de courroux
Et ta main diligente à redoubler tes coups [1].

Post Bartasium et Albinium non liceat forsitan de poeta Jacobo Grevino tacere, qui tragœdiam *de Cæsare* primum docuit in collegio Bellovacensi, decima sexta die februarii anno 1560, et postea typis mandavit anno 1562 [2].

Grevinus, quamvis calvinianæ factioni adscriptus, familiari amicitia cum Ronsardo et catholicis Pleiadis poetis conjunctus fuerat; post vero Sanbartholomæam diem ortis de religione dissensionibus ab illis Grevinus abalienatus est. Inde exstat qua re opera Grevini edita anno 1562 longo Ronsardi carmine, fausto quasi auspicio, commendentur, et ex illis versibus excerptis plane manifestum est quanti momenti habitus sit inter æquales Grevinus.

1. *Ibid.*, *Misères*, p. 72.
2. *Le Théâtre* de Jaques Grevin de Clermont en Beauvaisis. A Paris, pour Vincent Sertenas et pour Guillaume Barbé, 1562.

Jodelle le premier d'une plainte hardie
Françoisement chanta la grecque tragédie,
Puis en changeant de ton, chanta devant nos rois
La jeune comédie en langage françois,
Et si bien les sonna, que Sophocle et Menandre,
Tant fussent-ils sçavans, y eussent peu apprendre.
Et toy, Grevin, après, toy mon Grevin encor
Qui dores ton menton d'un petit crespe d'or,
A qui vingt et deux ans n'ont pas clos les années,
Tu nous as toutesfois les Muses amenées,
Et nous as surmontez, qui sommes ja grisons,
Et qui pensions avoir Phebus en nos maisons.

Parce et breviter de illa tragœdia nobis videtur esse dicendum. Quæ sine dubio, ut Boetiani *de Servitute spontanea* libellus, ex antiquorum imitatione orta est, quorum opera tunc inter renovatum litterarum studium summo favore colebantur. Satis sit quædam loca proferre quibus plane liqueat quanto amore Grevinus libertatem foveret usque ad laudandum tyrannicidium prolapsus. Sane in componendis versibus illis non in reges principesve gallicos animum intendebat minacem, sed Calviniani qui carmina ejus legebant et legendo incendebantur tyrannum quicumque in eos sæviisset habuerunt, præcipue post Sanbartholomæam diem, et sibi animo fingebant in eum haud secus ac in Cæsarem arma esse inferenda, per insidias vel omni quolibet modo.

Hæc sunt quibus Marcus Brutus propositum sibi esse denuntiat occidere Cæsarem :

Et quand on parlera de César et de Romme,
Qu'on se souvienne aussi qu'il a esté un homme,
Un Brute, le vangeur de toute cruauté,
Qui aura d'un seul coup gaigné la liberté.
Quand on dira, César fut maistre de l'empire,
Qu'on die quant et quant, Brute le sceut occire.
. . . .
Armé d'un tel vouloir je veulx, je veulx cacher
La dague en sa poitrine, et ne l'en arracher
Sinon avec la vie, à fin que puisse dire,
Qu'auray tué d'un coup et César et l'Empire.

Atque in clausula vivide et expresse exhibet ad quem finem prospiciat :

Mourir ou rachepter l'antique liberté.

Post occisum Cæsarem, in quinta parte, Brutus recuperatam libertatem extollit triumphali cantu :

Le tyran est tué, la liberté remise,
Et Rome a regaigné sa première franchise.
Ce tyran, ce César ennemi du Sénat,
Oppresseur du pays, qui de son consulat
Avoit faict heritage, et de la Republique
Une commune vente en sa seule pratique,
Ce bourreau d'innocents, ruine de nos loix
. . . .
Respire donc à l'aise, ô liberté romaine,
Respire librement sans la crainte inhumaine
D'un tyran convoiteux. Voyla, voyla la main,
Dont ore est affranchi tout le peuple romain.

Quibus subjicit Decimus Brutus :

Ainsi, ainsi mourront, non de mort naturelle,
Ceux qui voudront bastir leur puissance nouvelle
Dessus la liberté.....

Illas denique voces proferamus quas miles unus e vulgo pronuntiat in hac tragœdia antiqui chori partes agens :

Tousjours, tousjours l'estat des rois
Est plein de périls et d'effrois,
De meurtres, de sang et querelle,
Et jamais de mort naturelle
Ils n'allèrent paisiblement
Dans le ventre d'un monument.

Quibus Grevinus hæc Juvenalis transtulit, ut nobis visum est :

Ad generum Cereris sine cæde et vulnere pauci
Descendunt reges et sicca morte tyranni [1].

1. Satira X, vers 112.

CAPUT SEPTIMUM

DE TYRANNICIDIO APUD JURISCONSULTOS ET PRÆCIPUE APUD JOANNEM BODINUM

Hactenus disquisivimus quid de tyrannicidio senserint et renascentium litterarum cultores et ardentes novæ religionis propugnatores : nunc forsan haud insulsum vel inutile sit paucis attingere quid de hoc judicaverint illustrissimi decimi sexti seculi jurisconsulti.

Illi enim ea ætate maximi momenti et ponderis fuere et quam latissime protulerunt suas doctrinas. Alte in memores animos penetrabant præcepta orando tradita, et magister discipulorum mentes ad arbitrium moderabatur et gloriæ splendore præstrictas et novæ scientiæ miratione præoccupatas : ad hoc vitæ integritate decorabatur altissima eorum eruditio, et generosis adolescentibus tum doctrinarum institutores, tum morum arbitri habebantur. Inter hos præcipuum obtinuit locum Jacobus Cujacius, juris Romani divinus interpres, quem prosequebatur illustrium virorum cohors, Pibracus, Pithæus, Stephanus Paschasius, Jacobus Augustus Thuanus, etc. Eo præcipue laudabilis erat Cujacius, vir omni doctrina eruditus, quod secutus Alciatum ducem explicando Romano juri lucem historiæ præferebat, nec singulas leges ad litteram, prout quotidiana poscerent litigantium certamina, interpretari contentus, fontem ipsum juris repetebat, et Romanorum ingenio et moribus penitus investigatis convenire demonstrabat quidquid illi sanxissent.

Sed in plurimis ejus operibus fere nequicquam quæsieris certaminum vestigia quibus flagrabat illa ætas. Super omnia libertatem et animi tranquillitatem excolebat, totus in docendis discipulis, et de religione acerrimas contentiones aspernabatur quibus incalesce-

bant animi, nisi quod olim nimiam moderationem incusantibus notum illud responsum objecit : *Nihil hoc ad edictum prætoris!*

Attamen diligentius ejus scripta perspiciens, invenires quasdam normas secundum jus et æquum deductas ad quas se conferre debeant reges et quicumque rebus publicis gerendis sint præpositi. Scite definit et dijudicat quid intersit inter legitimam et iniquam potestatem, in RECITATIONIBUS SOLEMNIBUS, *ad titulum Digestorum de justitia et jure, ad legem V* [1]. « Sunt tria genera Reipublicæ, Regnum, Aristocratia, et Democratia... sunt autem his tribus generibus Reipublicæ tria alia, quæ nascuntur vitiosa et pernitiosa. Nam, ut pereleganter disserit M. Tullius, *3, de Rep.*, ubi injustus est rex, quem tyrannum vocat; vel ubi injusti sunt optimates, quorum consensum factionem vocant, Græci Oligarchiam; vel ubi populus ipse injustus est, cui idem ait nomen usitatum nullum reperiri, nisi ut eum tyrannum voces, Græci Ochlocratiam, Aristoteles vero tyrannum. Ubi, inquam, est tyrannus, vel factio, vel dominatus ejusdem turbæ, vitiosa est Respublica aut certe non jam vitiosa est Respublica sed nullæ omnino Respublicæ. Nam Respublica est res populi : et non est res populi, si tyrannus eam factionem compescat : ipse populus est injustus; qui non est multitudinis consensu et utilitatis ratione sociata, quæ est definitio populi seu civitatis. Nullum igitur regnum, si sit injustum, sed tyrannus vel monarchia, quæ duo vocabula plerumque accipiuntur in malo, nec sunt juris gentium. Regnum quid est? potestas quæ publico consensu defertur, decerniturque. Monarchia est tyrannis quæ invitis dominatur et subegit invitos. Regnum ratione regis. Monarchia libidine ejus, qui regno potitur. Regni finis est communis utilitas : Monarchiæ, propria. »

Sæpe crimini datum est, nec immerito, jurisconsultis decimi sexti seculi quod absolutæ potestatis fuerint fautores. Illius tamen exsons est Cujacius, a quo tyrannorum nomine turpantur quicumque prave auctoritatem exercuerint. Certe non ad extremum effectum adigit institutas normas, laudandus tamen quod expresse eas instituerit vel in commentariis de jure Justinianeo; nemo enim sine periculo, ea ætate, depravatam potestatem aperte criminando reprehendere poterat, et si qui ausi sunt mentitum nomen sibi prætenderunt.

1. Jacobi Cujacii *operum postumorum quæ de jure reliquit*, tomi quarti pars prior, sive ad diversos titulos Pandectorum Recitationes absolutissimæ. Opera et studio Caroli Annibalis Fabroti. Lutetiæ Parisiorum, 1658.

Item Duarenus, Donellus, Goveanus, Balduinus, et alii qui jus docuerunt in universitatibus decimo sexto seculo. Qui omnes juris antiqui doctores nil aliud sibi proponere videbantur quam explanare et in integrum nitorem restituere veterum magistrorum opera. Ita Ulpianum et Papinianum venerabantur ut Thomam Aquinatis theologi.

Juxta eos qui legibus Romanis studuerunt, fuere qui diligentissime consuetudines gallicas et jus consuetudinarium explanandum susceperunt. Inter quos summo splendore floruit Carolus Molinæus, qui longe super Vidum Coquillum, Renatum Chopinum eminuit, aliosque omnes qui de consuetudinibus veteris Galliæ scripserunt.

Longe discrepat a Cujacio in hoc Molinæus quod non est minus acer in disputando quam in discendo assiduus : jus et jurisprudentiam in contentionibus æqualium adhibet, sive de rebus publicis, sive de religione, sed nunquam in regiam potestatem eruditionem intendit; illam contra et scriptis et consiliis erigit ac tuetur, sive adversus romanos pontifices eorumque dominationem in deterius vergentem, sive in feudorum usus ad sævitiam vel usurpationem prolapsos.

Illud ante omnia præ se fert et confirmat regem in regni finibus super omnes erigendum esse. « Apud regem, inquit, est fons omnis jurisdictionis temporalis; alii autem sunt rivuli ab eo defluentes[1]. »

Diligenter tamen cavendum ne latius æquo proferamus Molinæi in regiam auctoritatem studium; non enim inter illos annumerandus est qui notum illud præceptum vulgaverunt : *quidquid placuerit principi, legis habet vigorem;* in scriptis contra fusius explicat quibus et quantis officiis detineantur reges; illud præcipue timet ne inopia ad violanda jura adigantur; ideo vehementer in civitates regesque invehitur qui acceptas a privatis pecunias non persolverint, quod sæpius ea tempestate accidit, vel nummos adulterinos ediderint. « Gravissime peccant principes et qualescumque, qui de qualitate vel pondere debitis subtrahunt, et enormissimam omnium falsitatem committunt, nisi prius publice consensu populi, alia probitatis in qualitate et quantitate nota definiatur. Quum enim nummus omnia metiatur, et sit generalis omnium mensura jure gentium introducta, omnia jura divina et humana, quæ damnant et execrantur falsificantes et mutantes mensuras, damnant et

1. Caroli Molinæi *Omnia quæ exstant opera,* t. II, p. 608. Parisiis, sumptibus Dionysii Thierry, via Jacobæa, 1681

execrantur falsificantes et defraudantes monetas, sive principes sint, sive privati. Nec ad rem pertinet, si quidam adulatores nugentur pecuniam esse principis : non enim est postquam expensa est... Non solum publica fides et mensura abrumpitur, sed etiam furtum manifestum, non in unum aut alterum, sed in omnes committitur : quod tamen sæpe perpetratum est in hoc regno non solum ab hostibus, sed etiam a nostratibus[1]. »

Ceterum extremo in fine tractatus Molinæus definit quæ sint « regem inter et tyrannum graphica differentia », et quibus dotibus commendetur rex, quibus autem vitiis tyrannus deformetur, commemorat Erasmi doctrinam secutus.

Illud vero mirum et extra fidem quod in Molinæi operibus de jure canonico unus deprehendi possit locus, in quo aperte tyranni cædes comprobatur. Hæc sunt enim verba quæ in *Annotationibus ad Clementinas* reperiuntur de tyrannis : « Quibus cum nulla societas, sed necare honestum, Cicero, lib. IV, *de Officiis*, Lucas de Penna... oportebat illis sine excusatione quidem supervenire interitum exercentibus tyrannidem... [2] »

Franciscus Pinssonius in explanandis partibus illis miratur, nobisque par miratio succurrit legentibus, quod talia a Molinæo prolata fuerint. « Miror, inquit Pinssonius, Molinæum in hac nota, in eum excessum odii contra tyrannos erupisse, ut diceret cum Cicerone pagano et ethnico tyrannos necare honestum, quæ vox indigna est christiani hominis et catholici, et regum amore maximo flagrantis, ut erat Molinæus... » Sed negligenda nobis talis opinio esse videtur singularis et insolens, neque per eam liceat Molinæum inter tyrannicidii fautores adscribere.

Proinde ex illis omnibus sane patet decimi sexti seculi jurisconsultos omnino neglexisse juris rationem e philosophia educendam, sive ad leges romanas, sive ad consuetudines spectaverint. Unus Joannes Bodinus illud inivit et explicandam aggressus est arcaniorem reipublicæ gerendæ scientiam in notissimo *de Republica* libro[3].

Dum ceteri, de quibus mentionem fecimus, jurisconsulti pro se quisque et quasi in minuta campi parte sulcum ducebant diversi, primus Bodinus latius prospectat et novi aliquid de juris scientia

1. *Tractatus contractuum et usurarum*, de mutatione monetarum, quæstio 100, n° 793.
2. Liber tertius, titulus decimus quintus, de Baptismo et ejus effectu.
3. Jo. Bodini Andegavensis *de Republica* libri sex latine ab authore redditi. — Lugduni et venundantur Parisiis, apud Jacobum Du-Puys, 1586.

exprоmit ex altiore quadam sede perspecta. Ideo diligentius nobis inspicienda ejus opera et summatim explananda.

Extrema pueritia, Tolosam profectus est Bodinus, ibique juri civili se applicuit, sub Cujacio magistro, a quo plura quam ipse confessus est desumpsit. Dein, amplissima instructus rerum supellectili, majus eloquentiæ theatrum quærens, Lutetiam venit, et patronum egit in curia Parisiensi, ubi æquales et æmulos habuit Brissonium, Paschasium, Pithæum, et alios complures ingenii præstantis viros. At non illi ex sententia, ut videtur, eventus dicendi successit. Quamobrem, quum alioqui umbratilibus studiis indulgere mallet quam in clara fori luce versari, alio vertit, et libros condere suscepit, inter quos *De Republica* libros sex, in quibus explicandæ juris scientiæ, imo philosophiæ, et reipublicæ gerendæ æqualibus suis ducem se professus est, novum illis, ut credebat, et invium adhuc iter patefacturus.

Atque ita inter scriptores decimi sexti seculi Bodinus singulariter eminuit altissima notus eruditione, qui prior in rebus quæ ad gubernandas civitates pertinent Secundatum prægressus est; et ipse haud sine auctoritate et decore rebus publicis operam impertitus est legatus ad comitia Blæsensia anno 1576, magistratusve muneribus functus.

Nemo sane ante eum, in hac philosophiæ parte quæ ad res publicas gerendas spectat majorem aut amplitudinem in componendo aut eruditionem in disquirendo exhibuerat. Certe non cum Platone vel Aristotele conferendus nobis esse videtur; sed perlonga seculorum experientia edoctus et ratione institutus quam philosophi excoluerant ad usum suum tanta commoda redegit extrinsecus orta. Machiavellus vero qui ante Bodinum et vixit et scripsit sæpius rerum gerendarum rationem pro habito apud Italicas civitates more judicavit, et quanquam ingenio præstat et vi eloquentiæ haud facile dixeris an majorem fructum sis percepturus ex evoluta Bodini *Republica* quam ex *Orationibus de Tito Livio*.

Denique constat Secundatum a Bodino nonnihil assumpsisse et magnam inter eos deprehendi similitudinem in concepta rerum gerendarum ratione. Doctissimus uterque et solertissimus; uterque ætatem suam antecessit, sed alter longiore intervallo quam ut hominum mentes commovere potuerit aut meritis laudibus affici, alter vero felicior qui præsens æquales instigare et vivus illorum miratione frui potuerit. Ad hoc veterum annalium jurisque Romani et Gallici uterque peritissimus, æqui observantissimus et ad præ-

videndum sagacissimus quo demum tendat societas civilis, sed concepta dispari modo in lucem proferens prout temporum diversitas ferebat.

Libri ejus *De Republica* universas partes explicare nobis non placet, nec extra definitum argumentum evagari; satis sit quid Bodinus de tyrannicidio in secundo libro dixerit explanare.

Sed antequam de hac quæstione ejus opinionem propius attingamus, notandum est eum libertatis publicæ non esse amantem, ex qua existimat licentiam tantum et perturbationes oriri. Exitiosas esse censet factiones in civitatibus, et subditos a lege divina et a natura ad parendum adstrictos esse, et eum qui regis auctoritatem violet, Deum ipsum violare cujus rex sit in terris imago. Attamen adeo omnes mentes pervasit communis ea ætate de tyranni cæde opinio, tantoque amore illi favent omnes politicæ religiosæve factiones post reformatam fidem et renovatum litterarum studium, ut ille auctoritatis propugnator, suasorque debitæ regibus obedientiæ, absolutæque dominationis fautor non potuerit non assentiri isti doctrinæ et nonnunquam tyrannicidium comprobare.

Exorditur secundus liber a definiendo civitatis cujusque quis qualisque sit status. Tria tantum rerumpublicarum genera, monarchiam, aristocratiam et democratiam constituit Bodinus. Monarchiam definit quum in unius dominatu versatur reipublicæ majestas; democratiam, quum omnes, aut major pars omnium civium simul collecta, summum reipublicæ imperium habet; aristocratiam quum paucis quibusdam civibus in reliquos summum jus est. Deinde docet Bodinus, eos errare et decipi, qui quartum genus ex tribus temperatum posuerunt; et nihil optimum ex tribus inter se confusis existere posse asseverat.

Nihil illa Bodini opinione notabilius, quæ peropportune aptari possit ad rerum publicarum statum qualis nostra ætate vulgo in Europa exstat. « Ac si quidem, inquit Bodinus, ex tribus generibus modice temperatis quartum exsurgere possit, vim quamdam natura diversam a reliquis habiturum est, ut in concentu *harmonica* quæ dicitur *proportio*, ex arithmeticis ac geometricis rationibus arte confusis existit, ab utrisque tamen vehementer discrepans; ut corpora quæ ex dissimilibus ac dissidentibus naturis coalescunt, si misceantur simul, tertium quiddam ab utrisque omnino diversum efficiunt. At illud quod ex tribus reipublicæ generibus conflatur, nihil omnino differt a populari statu; nam si tres civitates, quarum

una a rege, secunda ab optimatibus, tertia a populo regatur, in unam et eamdem coeunt reipublicæ formam, simulque summa potestas ac imperium omnibus communicetur, quis dubitet quin status ille sit popularis omnino futurus? Nisi vicissim imperium regi, deinde optimatibus, postea populo tribuatur... »

Tripartito divisa materia tenues et minusculas rei partes aggreditur et primum de unius dominatu disserit qui primus apud homines rerum gerendarum fuit habitus. « Principio rerum omnium, quo societas hominum coalescere cœpit, ac reipublicæ forma quædam constitui, unius imperio ac dominatu omnia tenebantur. Fallit (*sic*) enim Aristoteles, qui aureum illud genus hominum fabulis poetarum quam re ipsa illustrius, reges heroas suffragio creasse prodidit... » Dominus in subditorum bona et vitam summum exercet jus; sed annuentibus imperat, ideoque a tyranno longe distat.

Inde ad regiam potestatem accedit Bodinus et in hunc civitatis statum quem unum præ ceteris certe diligebat amorem suum vivide expromit. Quæ sint boni principis officia nobili descriptione colligit, quæ magnam mirationem moveat si ad omnium generum flagitia conferas quibus extremi Valesii regnum turpaverunt, nobis vero nullam si in memoriam revocaverimus Bodinum inter egregios illos viros annumeratum fuisse quibus Politicis nomen inditum est, quorum præsidio et auspicio Henricus quartus regnum exorsus est pacemque mentium conciliavit, composito religionum furore, et novum prosperitatis decorisque ævum in Gallia tantis vexata procellis iniit. « Regia potestate sic constituta, ut subditi quidem principis legibus, princeps autem legi naturæ pareat, lex utrinque domina, vel, ut Pindarus ait, regna utrisque imperans, subditos inter se, et cum principe, iisdem vinculis copulabit, ex eoque suavissimus concentus existet, qui voluptate ac felicitate incredibili utrosque beare possit. »

Sequitur de tyrannide brevis dissertatio. « Tyrannis est, inquit Bodinus, in qua unus homo divinis ac naturæ legibus sublatis, rebus alienis ut suis, et liberis hominibus quasi mancipiis ad libidinem abutitur. » Post hæc inter se rex et tyrannus fusius conferuntur. « Tyranni porro ac regis discrimen est, quod hic naturæ leges amplectitur, ille proculcat : hic religionem, justitiam ac fidem colit, ille impietate, injustitia et perjurio delectatur : hic omnia sua studia ad reipublicæ salutem confert : ille omnia utilitate sua ac voluptate metitur..... hic suas opes civium esse putat, ille non bona

tantum, sed etiam corpora civium sua ducit..... hic nihil a civibus, nisi publica urgeat necessitas exigit, ille civium sanguinem ebibit, ossa corrodit, medullas etiam nudatis ossibus exugit..... et hic vivus et mortuus clarissima omnium voce ac laudibus cumulatur, ille et vivens et mortuus fœdissimis contumeliis ac libellis laceratur. »

Et quum in hunc locum oratio auctorem nostrum deduxit, illud disserit Bodinus, an bono viro liceat manus afferre tyrannis. Jamjam supra definitum tyrannum accuratius describit his verbis : « Tyranni vox ignota, plerosque impulit in errorem, et in perniciem principum multorum armavit. Proprie significari diximus eum, qui sociis ac civibus invitis, non cooptatus a principe, non suffragio populi, non sorte, non hæreditario jure, non testamento, non justo legitimoque bello, non singulari quodam cœlestique oraculo creatus, in rempublicam invasit, hunc leges et antiquorum scripta occidi jubent, et maxima præmia interfectoribus proponunt, nobilitatis inquam stemmata, statuas, coronas, bona denique ipsius tyranni : eos enim patriæ, vel ut Cretenses loquuntur matriæ liberatores esse judicabant..... Hoc igitur fixum maneat, eum ab universis et singulis occidi licere, qui vel regi legitimo potestatem extorqueat, vel in populari aut optimatum statu, pro socio, principem se sua unius auctoritate ferat. »

Quum vero talibus argumentis necandum esse eum asseveravit qui per vim regnum occupaverit, prorsus pergit et destinata secutus negat pro rata et legitima assensione posse haberi ulterius extortam electionem quam vitiaverit instantium armatorum metus. « Non potest id civium consensione factum censeri, quod erepta libertate fiat, etiam si tyrannus supplici rogatione populi suffragia captet : ut Sylla,... ut Cæsar,..... et Cosmus Medices, qui exercitu coacto post Alexandri propinqui cædem, Senatum Florentinorum, ut se ducem perpetuum crearent adegit, tanta vi tormentorum emissa, ut non aliter Senatus suæ ac civium saluti consulere potuerit, quam ducis illius creatione. »

In lubrico versatur quæstio illa, si ad dominum spectes qui non vi sed liberis suffragiis et votis optimatium occupaverit imperium, posteriusque perverse eo abutatur, civitatemque in deterius detrudat. Attamen Bodinus idem jus esse confirmat. « Hujus disputationis præcipua quæstio est, de eo principe, qui vel suffragio populi, vel optimatum, vel legitima successione, vel justo bello, vel sorte, vel oraculo cælesti, principatum adeptus, jura divina et humana pervertit : an ejusmodi principem, qui loquendi consuetudine tyrannus

vocatur, interficere liceat? Plerique certe divini et humani juris interpretes fas esse tradunt. » Et rursus pronuntiat Bodinus cuivis civi licere tyrannum interficere qui in populari aut optimatum statu princeps est, nec tamen jura majestatis habet, si sua potestate ad civium cædes, stupra, rapinas, abutatur.

Sed regem a principe sejungere necesse est, inquit Bodinus. « Quod si monarchia quædam est summa unius potestate constituta, qualis est Francorum, Hispanorum, Anglorum..... ubi reges sine controversia jura omnia majestatis habent per sese, nec singulis civibus, nec universis fas est summi principis vitam, famam aut fortunas in discrimen vocare, seu vi, seu judicio constituto id fiat, etiamsi omni scelerum ac flagitiorum, quæ in tyrannos convenire antea diximus, turpitudine infamis esset. Nam quod ad judicium attinet, nulla magistratibus, ac multo minus privatis in summum principem potestas est, quum non solum ab ejus unius omnia omnium imperia pendeant, sed etiam eo præsente magistratuum et collegiorum omnium potestas conquiescat. »

Longius etiam hac in re procedit auctor, censetque supremam deberi pœnam si quis vel mente regis cædem agitaverit. « Ac tametsi cogitationes hominum flagitiosorum nulla pœna leges persequantur, sed ea tantum quæ dicto factove foras in scelus erumpunt, si quem tamen violandi principis prava cogitatio ceperit, etiamsi nihil tentaverit, hanc tamen cogitationem capitali pœna plecti opportere judicarunt..... quanquam ne ullus disputationi aut ambiguitati locus relinqueretur, etiam improbos magistratus subditis sanctos esse oportere cavetur. »

Denique concludit non verbis sed suppliciis esse occurrendum illis qui regis cædem comprobent. « Quæ quum divinis et humanis legibus perspicua sint, argumenta contraria refellere, hominis est et litteris abutentis et otio : quemadmodum igitur eos qui an Deus sit necne dubitant, non argumentis sed pœnis acerbissimis refellere oportet; ita quoque statuendum est in eos qui perniciosissimis scriptis subditos in principes armare consueverunt. »

Proinde tyrannus descriptis signis quæ præ se gerit agnoscendus capitali damnatur pœna ab eodem scriptore qui maximam inter æquales sagacitatem de jure politico exhibuit. Mirandum quidem illud, ne unum quidem exstitisse inter omnes ejus ætatis scriptores de tyrannis disserentes quin suaserit vel comprobaverit tyrannicidium. Verum est Bodinum in eodem capitulo tyranni cædem comprobare, regis vero quam severissime vituperare, exquisite et solerter habita

distinctione. Sed nihil valet, si ad legem moralem spectes, illa distinctio. Necesse est supra opiniones et interpretantium libidines vel errores emineat lex. Unde enim ortura est satis gravis et excelsa auctoritas qua certe et sine controversia declaretur utrum princeps quilibet tyrannus sit annon? Sicarius nempe seu animi ardenti affectu, seu religionum pravo furore instinctus semper tyrannum esse eum judicabit quem occidere destinaverit.

Attamen et in reprobando quæ hac de re protulit Bodinus, æquum est profiteamur ab eo exhiberi doctrinam tantum, et rationem quamdam nihil ad rem pertinentem, neque ea intendi posse quæ censuit in quemquam ætatis suæ principem, nec usquam inveniri eum quem diligentius definierit tyrannum. Aliorum contra auctorum de quibus supra memoravimus si vel unum librum evolveris, facile agnoveris non animo effictam esse tyranni personam, sed expressam præsentis et viventis principis cujusdam imaginem subscripto etiam nomine. Nulla est apud illos rerum gratuita contemplatio, nulla, ut ita dicam, academica disceptatio, sed ad cruorem fundendum acerrimæ incitationes.

Ceterum ipse Bodinus curat stricte et præcise definiendum quorsum pergat exitiosa et ambigua illa opinio. Dum tyrannum quem describit occidendum censet, at vetat ne rex quilibet vel pravissimus violetur. Dum super omnes eminet rex, nulli subditorum licet vel judicium vel manus in eum intentare, qualia et quantacumque deliquerit. Quibus verbis sane omni noxa eximitur vel periculo ejus sententia quoad ad præsens tempus.

Perlecta igitur et diligenter excussa nostri auctoris de hac re an liceat tyrannum occidere disceptatione, affirmari potest ab eo improbari regis cædem; eorum vero qui per vim regnum occupaverint, sane licere existimat, sed minus caloris in hoc defendendo impendit quam in criminando si quis eo jure abutatur politicis religiosisve excitatus affectibus.

CAPUT OCTAVUM

DE TYRANNICIDIO APUD FRANCO-GALLIAM ET CALVINIANOS QUOSDAM LIBELLOS INCERTIS AUCTORIBUS

Jurisconsultis de quibus in novissimo capitulo disseruimus, libentius addidissemus Franciscum Hotomanum, si in libro, cui nomen *Franco-Galliæ*, veritatis studio magis quam causæ suæ commodo consuluisset.

Ideo Hotomanus nobis videtur annumerandus inter auctores mordacium libellorum, qui atrocibus sævitiis exulcerati quibus fuissent obnoxii et cæde Sanbartholomæa, iracundis et ultionis cupidis affectibus inserviebant. Quum infestis armis in oppressores irrumpere non possent, acuto calamo in eos sæviebant.

Quorum inter præcipuos exstitit summa jurisprudentia notus Franciscus Hotomanus, qui multa vix arte e trucidantium manibus elapsus ab Avarico Biturigum Genevam sese receperat. Eodem fere tempore et Gallicas cædes narrando persecutus est, vitamque amiralii Colinii narravit, ediditque *Franco-Galliam*. Quorum librorum primus mentito auctoris nomine anno 1573 editus est sub hac inscriptione : *De furoribus Gallicis, horrenda et indigna Amirallii Castillionii, nobilium atque illustrium virorum cæde, scelerata ac inaudita piorum strage passim edita per complures Galliæ civitates sine ullo discrimine generis, sexus, ætatis et conditionis hominum vera et simplex narratio, Ernesto Varamundo Frisio auctore.* Carmen in prima fronte præpositum erat : Vis consilii expers mole ruit sua [1]. Posterior, ut videtur, anno tantum 1579 prodiit in lucem hoc titulo : *Gaspar. Colinii Castellionii magni quondam Franciæ amirallii vita, nunc demum ob defectum exemplarium in gratiam*

1. Edimburgi, anno salutis humanæ 1573.

et usum christianorum principum, politicorum, aulicorum, militum recusa. Omnium denique ejus operum quod maximi fuit momenti de *Franco-Gallia* anno 1573 editum expressam factionis calvinianæ rationem et doctrinam exhibebat; quippe quod post titulum illud subscriptum gereret : *Tractatus isagogicus de regimine regum Galliæ et de jure successionis : libellus, statum veteris Reipublicæ Galliæ tum deinde a Francis occupatæ describens.*

Stragibus et omnibus vexationibus agitati protestantes ad arma arripienda coacti sunt, et ex religiosa familia in factionem politicam abiere. Quod necessario fieri debebat, decimo sexto præcipue seculo, qua ætate civilis potestas et religio adstrictius inter se conjunctæ erant. Quo perducti sunt ad vindicandam libertatem, quæ nemini antea in mentem succurrerat.

Insumitur liber de Franco-Gallia eliciendis ex præterito tempore originibus et institutis libertatis. Et accurate perquisita illa majorum instituta ad suum tempus aptari cupit auctor, ut inde exoriantur remedia malis præsentibus. Ideo præfatur his verbis : « Cogitanti mihi de Franco-Galliæ nostræ institutis, quantum ad usum reipublicæ nostræ, et horum temporum opportunitatem satis esse videbitur, conscribere..... »

Thuanus paucis verbis de Franco-Gallia sic locutus est : « Evulgatus eodem tempore liber *Franco-Galliæ* titulo ; quo magni nominis sua ætate jurisconsultus probare nititur, regnum illud inter christianorum principatus florentissimum non hereditatis jure, ut privata patrimonia, sed nobilitatis ac populi judicio et suffragiis deferri solitum : et, ut eligendorum regum auctoritatem, ita et abdicandorum et exauctorandorum potestatem penes regni comitia et publicum gentis conventum antiquitus extitisse, exemplis ex Philippi Valesii, Joannis, Caroli V, Caroli VI, ac denique Ludovici XI temporibus repetitis. Id vero maxime urget, omni tempore ut a successione sic a publica omni procuratione mulieres exclusas fuisse [1]. »

Sane in errorem de historia haud semel prolabitur, indigesta sæpe eruditione imbutus, sed laudabili verborum elegantia commendatur liber. Ceterum et in vagando per retrusas Germaniæ silvas assidue Hotomanus ad æquales mentem et animum intendit. Ita, ad exemplum, quinto capitulo de Francorum nomine, variisque excursionibus, et quo tempore regnum sibi in Gallia constitue-

1. Lib. 57, ad annum 1574.

rint, molli æque et vivida oratione in has voces effertur : « Valeat igitur omen, ut Franci vere proprieque dicantur, qui tyrannorum servitute depulsa, honestam, etiam sub regum auctoritate, libertatem sibi retinendam putarunt. Non enim regi parere servitus est : neque qui regi parent continuo servi habendi sunt; sed qui tyranni libidini, aut latroni, aut carnifici, tanquam pecudes lanioni sese subjiciunt, ii demum vilissimo servorum nomine appellandi sunt. Itaque reges semper Franci habuerunt, etiam tum quum assertores se ac vindices libertatis profitebantur : et quum sibi reges constituerunt, non tyrannos, aut carnifices, sed libertatis suæ custodes, præfectos, tutores sibi constituerunt. »

Hac fictione perita, dum studebat ex antiqua regiæ potestatis disciplina aliquam quasi libertatis scintillam excudere, Hotomanus patrio inserviebat amori, populariumque studia incendebat in se conversa. Quum enim conferendo habitam apud Græcos Romanosve rempublicam cum Germanorum annalibus regiisque Gallorum gentibus a Merovæo Caroloque magno ortis consimile aliquid fuisse perhiberet id conspicuum efficiebat uno quasi tenore et cursu per seculorum seriem superstitem usque et vivacem viguisse libertatem.

Quo demum spectet et quid secum ferat liber de *Franco-Gallia* his brevibus passim excerptis explanare possis : « Quod regalis dominatus, si sine freno relinquatur, ubi in tantam omnium rerum potestatem, tanquam in ludibricum locum, venerit, facillime in tyrannidem delabitur... » Ideo populis inesse debet jus ut suo arbitrio sibi rectorem deligant, « non hæreditario jure sed populi judicio et suffragiis ». Voluntatem et placita cujusvis subire « non hominum liberorum est et lumine ingenii utentium, sed pecudum potius et brutorum consilii expertium ». Itaque « jus omne et creandorum et abdicandorum regum penes solemne gentis concilium... Depositio regis et alterius institutio non ad episcopum tantum modo, neque ad clericum aliquem, aut clericorum collegium pertinet, sed ad universitatem civium inhabitantium regionem, vel nobilium, vel ipsorum valentiorem multitudinem. »

Miro favore et studio exceptus est liber et sæpissime typis effictus, avideque trium editionum exemplaria intra unum annum abrepta, simul atque in gallicum sermonem a Simone Goulartio opus translatum. Sane a principibus catholicis prohibitus est liber, sed nihil aliud profectum est quam ut latius propagatus fuerit. Ipse Hotomanus refert, in epistola die septima januarii anni 1575 scripta, quondam a Sabaudiæ præcone proclamatas esse de Franco-

Gallia prohibitiones, jubente duce : « ..... Nudius octavus *à Chambéry* buccinatores in foro ducis Sabaudiæ et senatus interdixerunt ne quis eum libellum et novum alterum de magistratibus et civitate vendere aut domi habere, legere, contrectare auderet. Hoc nuncio accepto typographi certatim accurrunt ut alteram editionem adoriantur [1]. »

Quid in se gereret Franco-Gallia sane intellexerunt æquales, politicam scilicet rationem Calvinianorum, quæ, Hotomani judicio, tendere deberet ad abrogandum Caroli noni imperium, expellendamque matrem ejus Catharinam, et novam quamdam regni instaurandam formam populari jure et potentia fultam, in qua penes nobilitatem maximam in partem ex Calvinianis collectam futura esset suprema civitatis directio.

Mentes mire incenderunt quæ ab Hotomano de his rebus concepta erant. Documento nobis esse poterit libellorum infinita multitudo, qui his temporibus in lucem exprompti sunt, a Franco-Gallia quasi a fonte decurrentes. Eorum nonnulli collati sunt in tria volumina, quibus inscribitur : *Mémoires de l'Estat de France sous Charles IX* [2], et ubi primum editus est Boetiani libellus, de quo supra memoravimus. Ex quibus libellis publicatis ad parandos seditionis animos, titulos satis esse duximus proferre : *Traité du droit des magistrats sur leurs sujets, publié par ceux de Magdebourg, l'an M D L, et maintenant reveu et augmenté de plusieurs raisons et exemples; Apophthegmes et discours notables recueillis de divers autheurs contre la tyrannie et les tyrans; — Discours des jugements de Dieu contre les tyrans recueilli des histoires sacrées et profanes et nouvellement mis en lumière; — Politique, dialogue traitant de la puissance, autorité et du devoir des princes, des divers gouvernements, jusques où l'on doit supporter la tyrannie, si, en une oppression extrême, il est loisible aux sujets de prendre les armes pour défendre leur vie et liberté : quand, comment, par qui, et par quel moyen cela se doit et peut faire; — Discours politique des diverses puissances établies de Dieu au monde, du gouvernement légitime d'icelles et du devoir de ceux qui y sont assujettis, etc.* His exemplis ad exemplum tantum prolatis plane manifestum efficitur jus renitendi et rebellandi prædicatum et appellatum esse.

Hæc omnia scripta parvi sunt momenti, et vana quadam decla-

1. Vide *Essai sur François Hotman,* par Dareste, 1850, p. 67.
2. Deuxième édition, reveue, corrigée et augmentée, 1577.

matione tument, indigestaque eruditione et obscuris incertisque conceptis. Ad demonstrandum tantum proficiunt sensim tyranni cædem animo volvere et fovere protestantes, qui numero pauciores non habituri erant in instituendis conventibus continuoque habendis satis firmam exercendi cultus libertatem : sed non plane aperitur illa conceptio mentis, nec nitide ex scriptorum ambagibus expromitur. Ideo antiquius nobis est citatim ad scripta devenire quibus apertius de tyrannicidio tractetur.

Tyranni cædendi jus præcipitur et laudibus præcise extollitur in libello qui editus est anno 1574 dicationeque Elisabethæ Anglorum reginæ oblatus sub hoc titulo : *Réveille-matin des Français et de leurs voisins, composé par Eusèbe Philadelphe cosmopolite, en forme de dialogues*. Quis vere fuerit hujus auctor ambigitur. Theodoro Bezæ a nonnullis addicitur, ut ea tempestate fere cuncta a Calvinianis sine auctoris nomine scripta; sunt qui Hotomanum protulerint, *Franco-Galliæ* auctorem. Uterque, ut videtur, et nonnulli alii fautores consortesve religionis reformatæ operam ad hoc opus consociaverunt, quo res præsentes ad minima quæque et cognitione dignissima explanatæ digeruntur, nec sine arte eloquentiave expressæ, adhibitis hortationibus quæ populum Gallicum ad rebellandum finitimosque ad opitulandum incitent [1].

Libellus gallico sermone *Réveille-matin* his scriptis sine dubio annumerandus est, quæ a multis communi opera effinguntur, quorum Menippæa exemplar exhibuit præstantissimum. Quum fervent animi acri ardore ad decertandum instincti, non tam pro sua quisque fama quam pro communi causa dimicat; fit societas et quasi arctis ordinibus condensatur acies ut majores sint vires et ad lacessendum et ad propugnandum.

Noster libellus quasi ex selectis locis componitur, quidquid illa ætate disceptando agitaretur promiscue attingens. Quæ sint in tali opere vitia omnibus scitum : in componendis partibus inæqualitas, nullaque congruentia, repetitiones, divagationesque.

In secundo dialogo, Politicus quidam et Historicus inter se de protestantium statu apud singulas Europæ nationes confabulantur, et præcipue Anglis reginæque Elisabethæ sedulius attendunt, cujus in custodia tenebatur Maria Stuarta, ad excipiendum regnum genere designata si superstes foret. Facile intelligitur quanto horrore Re-

1. Vide Sayous, *Études littéraires sur les écrivains français de la Réformation*, t. II, in-12, 1854, p. 43; — Lenient, *la Satire en France au* XVI[e] *siècle*, p. 334.

formati, quanta vero alacritate Catholici permoverentur, quum præsagirent fore ut, mortua Elisabetha, sub ditionem et sceptrum Angli detruderentur neptis Guisiorum. Itaque Politicus eodem accensus odio, quo miserandam Mariam omnes protestantes insectabantur, exquisite prodit et enuntiat quam vehementer ad civilium rerum et divinarum utilitatem intersit ut Elisabetha extremum supplicium de Maria sumendum statuat. Nemo possit non stupere, quum legat virum honestum et probum, imo Gallum, decimo sexto seculo illa atrocia verba potuisse emittere : « O Seigneur, vit-elle encore cette fatale Médée?..... Mais qu'attendent-ils ces Anglais? N'y a-t-il âme qui remontre à la reine et à son conseil la nécessité qu'ils ont de s'ôter une telle épine du pied? » Quibus subjicit collocutor : « Il y en a des plus doctes et des plus zélés qui n'ont rien oublié à lui dire sur ces arguments, mais la reine d'Angleterre est si bonne, elle est tant pleine de clémence et de douceur qu'elle ne prend point de plaisir à voir verser le sang! » — « Quelle douceur, notre Seigneur, et quelle clémence est celle-là! » exclamat Politicus, et in antecessum Mariæ supplicium laudibus extollit, quod e jure et ex officio Elisabethæ esse contendit; pœnamque esse maxime legitimam tanta gravitate verborum confirmat, imo necessariam, ut Historicus se mirandam illam sententiam omnibus commodi publici fautoribus spondeat nuntiaturum. In perorando, Politicus nihil aliud quam immaniter et indigeste congerit locos e Scripturis excerptos, ut Dei verbis ultionem et cruorem repetat. Minus nimirum festinandi studium Elisabetham urgebat quam istius libelli auctorem, quum decimo septimo tantum anno post infandam illam insimulationem ab infensis factionum animis ortam, securi caput subjecerit Maria Stuarta. Abhinc initium cepere regiæ trucidationes. Libellus noster suscepit eas omni noxa eximendas, confirmato jure occidendorum tyrannorum his verbis : « C'est de tous les actes le plus illustre et le plus magnanime, étant, comme très bien le montre Cicéron, un tel acte, quand bien il sera exécuté par un familier du tyran, tout plein d'honnêteté et de bienséance conjointe avec le salut et l'utilité publique. » Quo nihil potest in tyrannicidium expressius excogitari.

CAPUT NONUM

QUID DE TYRANNICIDIO SENSERINT HUBERTUS LANGUETUS IN « VINDICIIS CONTRA TYRANNOS », ET BUCHANANUS IN LIBELLO « DE JURE REGNI APUD SCOTOS ».

Nusquam magis spirare in hoc seculo et tristiori asperitate videtur Calvinianorum mens et sacrosanctæ Scripturæ flatus, quam in libro sine vero auctoris nomine primum anno 1581 in vulgus edito sub hoc titulo : *Vindiciæ contra tyrannos*, *sive*, *de principis in populum populique in principem legitima potestate*, *Stephano Junio Bruto Celta auctore*.

Diu existimatus Theodorus Beza illius libri auctor esse; nonnullis vero Franciscus Hotomanus, vel Buchananus, vel Philippus Mornæus Plessius. Sed demonstravit Baylius, in *Indice historico et critico*, hunc librum ab Huberto Langueto scriptum fuisse [1],

1. Recentissime eruditus Waddigton quædam attulit argumenta ut *Vindicias* a Mornæo Plessio compositas esse probaret. Nihilominus minime eam rem expeditam esse fatetur, quanquam quidem Mornæo potius quam Langueto librum attribuendum esse censet. (*De Huberti Langueti vita*. Paris, Ernest Leroux, 1888, in-8.)

Baylii vero auctoritatem potissimum sequimur. Namque secundum Tronchini theologi Genevensis funebrem orationem in obitum Simonis Goulartii habitam, Goulartium ab Huberto Langueto *Vindicias* scriptas esse certo scivisse constat. Operæ pretium est hæc Tronchini verba de Goulartio referre : « Quam impleverit orbem fama latissimæ eruditionis qua pollebat vel uno hoc argumento constabit. Henricus tertius rex Francorum, curiosus omnia nosse quæ toto regno dicebantur et scribebantur ut ea ratione cogitationibus et consiliis omnium interesset : quum legisset librum qui Stephani Junii Bruti nomine *Vindiciàs* habet *contra tyrannos* et quis sub eo nomine lateret autor avidissime cuperet scire : post delusas omnes explorationes non putavit compendiosiore via pervenire posse ad ejus rei quam inquirebat notitiam, quam indicio nostri Goulartii, quem nihil latere credebat eorum quæ typis evulgabantur. Ad Goulartium mittit qui ab eo rem edoceretur. Autographum autoris viderat noster et sciebat opus esse Huberti Langueti viri a singulari pietate, doctrina, prudentia celeberrimi, quod vir illustris et literatæ nobilitatis decus Philippus

Melanchthonis Arausionensisque amico, eruditione et scientia doctissimo, integritate et magnitudine animi excellentissimo, qui vix infestas catholicorum manus effugerat dic Sanbartholomæa, et libellum typis mandatum esse post auctoris mortem a Mornæo Plessio, qui præfatione ornavit obsignata hoc mentito nomine : Cono Superantius Vasco.

Inquirit primo auctor an subditi debeant principibus obedire si quid contra legem Dei imperent.

Et statim respondet : « Regibus propter Deum, non adversus Deum, Deo servientibus, non adversantibus, Dei jura tuentibus, non invadentibus, obtemperandum. »

Illud præ se gerit proprium et peculiare Huberti Langueti liber, quod operi subdita est nova quædam doctrina, cui mira in posterum deberetur fortuna, nescio qua contractus species. At non ex una meraque ratione demonstrationem et conditiones illius fœderis excudit, quod nihil ad usum vel experientiam pertinebat, sed ab historia, nec a Romana tantum ut Machiavellus, Gallicave ut Hotomanus, sed ab antiquiore et multo magis veneranda, id est ab historia sacra. A Scripturis argumenta expromit et librorum sanctorum auctoritate fulcit concepta sua, eosque ut ultimam rationem colit, et ad omnem quamvis gentem christianam convenire profitetur quodcumque ab Hebræis oriatur.

Mornæus Thomæ Guarino typographo tradidit excudendum et publico dedit, quum post auctoris obitum in suam potestatem venisset. Quod tamen distulit indicare noster, ne sanctissimi viri manes immerito sollicitarentur. » (*Disquisitio de autore Vindiciarum contra tyrannos quæ sub nomine Stephani Junii Bruti Celtæ aliquoties typis editæ sunt.* Amstelodami, ex officina Ægidii Valckenier, anno 1662, in-8.)

Itaque principem editionem Gallicamque versionem anno 1581 typis excussas fuisse, et antiquiorem annum libellis falso inscripsisse Guarinum typographum nobis videtur. Huic sententiæ assentit Agrippa Albinius in secunda *Historiæ Universalis* editione, et argumentum magni momenti affert, quippe qui in prima editione Mornæum ut Vindiciarum auctorem designaverat. Plerique recentiores auctores Albinii sententiam sequentes *Vindicias* scriptas esse a Langueto affirmant.

Ceterum est una non contemnenda conjectura, ex stylo, methodo et ratione disserendi desumpta, quæ, ut jam *Disquisitionis* supra citatæ auctor scripsit, ingenium et studia eruditi jurisconsulti, atque una exercitati expertique politici, qui *mores hominum multorum vidit et urbes,* sapere videretur. « Præter juris Romani et jurisconsultorum citationes, allegantur historiæ, jura, statuta et mores politiarum quarumcumque specialium in Europa, quæ a nemine proficisci potuerunt, nisi cui per peregrinationes, multorum politicorum familiaritates, assiduas scriptiones communicatorias, proprias insuper negotiationes ac pragmatias arcana Rerumpublicarum et aularum perspecta erant. Talem vero fuisse Languetum et elogia præstantissimorum virorum, et quæ prostant epistolæ ipsius ad Sidnejum, et Cameriarum abunde testari possunt. »

Secundum Scripturas, Languetus regum institutionem mutuum esse contractum existimat, ultro quasi citroque data fide. « Duplex fœdus in regum inauguratione legimus : primum, inter Deum et regem et populum, ut esset populus, Dei populus. Secundum vero, inter regem et populum, ut bene imperanti bene obtemperaretur. » Allegat a Scripturis excerptum locum, quo Samuel regem Hebræis præficit ea lege ut Deo pareat, alioquin periturus : Obedite et servite Deo tam vos, quam rex vester qui est super vos... Alioquin et vos et rex vester peribitis. — Quod si reges fœdus confuderint, Deus pacti conditiones jam non exsequitur : « Ac si diceret Deus : pactum violarunt, conditionem non impleverunt; neque ego itaque amplius teneor. Majestatem meam imminuere volunt; ego regnum ipsorum vere imminuam. »

Quamvis Evangelium in locum legis Moseæ subditum sit et reges christiani in locum regum Hebraicorum, nihilominus viget fœdus iisdem pœnis sancitum.

Pagani reges ipsi vel inscii sese tanta assentatione obstrinxerunt : « Quid vero de regibus ethnicis statuemus? Procul dubio et si ii extrinsecus non unguntur a Deo, sunt tamen ejus vasalli, et ab eo uno potentiam suam acceperunt seu sorte, seu alia quavis forma eligantur. Si suffragio, Deus regit corda hominum et dirigit quo ipse vult. Si vel sorte, sors conjicitur in sinum, inquit Salomon, et judicium ejus a Domino... Etsi Deus legem suam non ita diserte his atque illis commendarit, est tamen quod agnoscant, se, quod regnant, Deo supremo regi debere. Itaque si tributum eo nomine Deo persolvere minus curent, saltem quod Deo a subditis debetur, intercipere et avertere ne tentent, aut ulla alia in re divinam sibi jurisdictionem arrogent. Id vero proprie affectati regni crimen est, quod Deus ipsos reges ethnicos gravissime ultus est. »

Inde confirmat principem subditum esse Deo, et facile ita definit et perorat primam libri quæstionem : « Cum itaque videamus eodem fere modo reges a Deo regno investiri, quo vasallos a domino superiore, feudo, iisdem de causis eo beneficio privari, eodem ferme loco, hos, quo illos esse, reges omnes Dei vasallos esse, omnino statuendum est. Hoc vero posito, quæstio nostra facile finietur. Si enim Deus est domini superioris loco, rex vasalli, quis non domino potius quam vasallo obediendum pronunciet? Si Deus hoc præcipit, rex contra, quis regi adversus Deum obsequium denegantem, rebellem judicet? Imo vero quis non rebellionis damnet, si aut Deo segnius pareat, aut regi ea in re pareat. Denique, si

hinc rex, illinc Deus ad delectum nos vocet, quis regem, ut Deo militemus, deferendum non statuat? Ergo non modo non tenemur obedire regi contra legem Dei quid imperanti, verum etiam si obediamus, rebelles sumus. »

Venit postea Hubertus Languetus ad exquirendam secundam quæstionem : an liceat resistere principi legem Dei violanti et ecclesiam Dei vastanti : quibus, quomodo et quatenus. Ad quod explanandum adhibet sacram Scripturam et Judæorum historiam.

Ad fœdus antiquitus sancitum inter Deum populumque se confert, illudque conspicuum et singulare præbet quod juris civilis scientiam cum mente Scripturæ et ratione theocratica consociat. Ut juris prudentes potestatem regiam super jus civile superstruxerant, ita Languetus ab eodem jure civili initium et causam potestati politicæ, ad usum Calvinianorum, elicit. In icto fœdere, cui interfuerunt una ex parte Deus, et altera rex populusque, hi sese erga Deum conjunctim obligaverunt. « Videtur ergo Deus fecisse, quod in dubiis nominibus creditores facere solent, ut plures in eamdem summam obligentur, ut ejusdem rei duo pluresve rei promittendi constituantur, a quorum unoquoque, tanquam principali reo solidum peti possit... Ita tenetur rex per se, Israël item per se, curare cavere ne quid detrimenti ecclesia capiat. Uter vero negligat, Deus ab alterutro integram rem petere potest, et eo quidem magis a populo, quam a rege, quo plures et difficilius labuntur et magis solvendo sunt quam unus. »

Ex illo fœdere inter Deum inito et regem populumque, necessario oritur jus resistendi. Quî enim servari possit tale fœdus, si populus a regibus adduci possit ad honorandos Deos alienigenas?

Ita devenit Languetus ad definiendum jus armis renitendi, quod apud veteres sine controversia regnabat, et excidit in disputationes politicas post Evangelium propagatum : « Itaque licet Israeli, si rex legem Dei ecclesiamve evertat, resistere, nec id modo : verum, ni fecerint, ejusdem criminis tenebitur, et eamdem pœnam luet. Resistet vero verbo, si verbo oppugnabitur; vi, si vi; arte, inquam, et Marte. »

Attamen renititur auctor noster contra vim tumultuose et promiscue inferendam, et expresse multitudinem ab exercendo rebellandi jure excludit. Privato cuique non impertitur potentia, magistratus, jus gladii. Priscum fœdus a Deo initum est cum universis insimul, non vero cum singulis separatim. « Quid, inquies? An vero universam multitudinem, belluam, inquam, illam innume-

rorum capitum, tumultuari et concurrere in eam rem, quasi agmine facto oportebit? quis vero in ea turba ordo esse queat? quæ consilii, quæ rerum gerendarum species? Quum de universo populo loquimur, eos intelligimus, qui a populo authoritatem acceperunt, magistratus, nempe, rege inferiores, a populo electos, aut alia ratione constitutos, quasi imperii consortes et regum ephoros, qui universum populi cœtum repræsentant..... ejus generis sunt in omni regno bene constituto, officiarii regni, principes, pares, patritii, optimates et cæteri ab ordinibus delegati, e quibus constatur aut concilium extra ordinem, Parlamentum, Diæta, cæterique conventus, in diversis regionibus diversa nomina sortiti, in quibus ne quid aut respublica aut ecclesia detrimenti capiat providendum est. »

Verum hic alia nobis exoritur quæstio, ait Languetus. Statuamus jam regem aliquem legem Dei ecclesiamve abolere, universitatem consentire, aut majorem ejus partem, principes aut omnes, aut plures connivere, partem interim aliquantulam populi, atque, unum, aliquem ex principibus magistratibusque legem Dei retinere, Deumque rite colere velle : quid licere putes, si rex aut eam partem ad impia sacra cogere, aut ei piis sacris interdicere velit? quod solvit et explanat monendo ad quemlibet magistratum ac civem pertinere, ut primum signum edant ad arma recurrendi adversus regem qui legem Dei violaverit, etiamsi major pars civium vel magistratuum fidem regi servaverint. « Statuendum ergo tandem, universum populum, principem impia jubentem, aut pia vetantem, authoribus iis, qui populi authoritatem penes se habent, aut pluribus coercere posse et debere. Deinde universos, aut saltem potiores in singulis regionibus urbisve, authoribus præcipuis magistratibus, tanquam a Deo primum, dein a principe constitutis, impia sacra a suis mœnibus arcere jure posse, piaque iisdem tueri : quin et ecclesiæ, quæ una omnino est, pomœria dilatare posse; ac ni fecerint, divinæ Majestatis, si saltem potuerint, reos esse. »

Ita Languetus rebellioni et tyrannicidio viam aperit. Si enim vel unus ex primoribus, magistratibusve vel una civitas rebellionem iniverit ad tuendam religionem, justa et legitima fient omnia quæcumque facinora, jure ad bellum procurretur, et jure rex trucidabitur.

Longius etiam pergit in definiendo privatorum jure. Nullo illi per se ipsos ornantur jure resistendi, sed periculosissima quædam

admittitur exceptio, cujus virtute ad tyrannum cædendum sæpe gladius educetur. « Ex fœdere inter Deum et universum populum, ut sit populus Dei, singuli non tenentur. Ut enim quod universitati debetur, singulis non debetur : ita nec quod debet universitas, singuli debent..... Privati non habent potestatem, non funguntur magistratu, non habent imperium, non ullum jus gladii. Itaque, ut gladium privatis non tradidit Deus : ita nec usum gladii ab iis reposcit... Ergo nemini privato licebit armis resistere. » Inde oritur quod excipit noster : fieri potest ut Deus privatum quemdam suscitet et instituat ultionis suæ ministrum, quod sæpius in Vetere Testamento evenit. Quod quamvis cautum et parcius enuntiet, nihilominus lubricum est : « Quid ergo de Mose statuemus,... de Ehod,... de Jehu... An non erant illi omnes privati? Certe si ipsos per se spectes; quia ordinarie constituti non erant, privatos dicere queas. At ex quo extra ordinem vocatos scimus, ipso quasi Deo, suo illos gladio evidenter accingere, non modo privatos non censebimus, verum quibusvis ordinariis potiores. Mosis vocatio et expresso Dei verbo, et signis evidentissimis comprobatur..... »

Tertiam vero quæstionem Hubertus Languetus fusius explicat in ultima libri parte longe maxima : an et quatenus principi rempublicam aut opprimenti, aut perdenti, resistere liceat. Item, quibus id, et quomodo et quo jure permissum sit.

Ab hoc exorditur principio, jamjam ab Hotomano posito, a populo reges creatos esse. « Omnino cum nemo rex nascatur, nemo per se rex esse, nemo absque populo regnare possit; populus vero contra et per se esse queat, et rege prior tempore sit : reges omnes a populo primum constitutos fuisse, certissime constat.... Deinde reges populi causa institutos constat. Ratio vero postulat, ut is, cujus ratione alius extitit, eodem potior censeatur.... Præterea vivunt innumeri populi absque rege : regem absque populo, ne mente quidem concipere possis. »

Ceterum illud resumit iterumque pertrectat, quod jam in secunda quæstione usurpaverat : populus universus repræsentatur per regni officiarios ordinarie per ordinum conventus extra ordinem, aut annuatim.

An præscriptio obstet? Sed nulla esse potest in populum præscriptio. « Vulgatum est, nullam fisco proscriptionem nocere; multo vero animus populo universo, qui rege potior est, cujusque gratia princeps id privilegium habet.... An non scitum est illud, libertati

nulla, ne diutissima quidem servitute, violentia præscribi posse! Quod si vero reges a populo constitutos fuisse, qui ante D. forte annos vivebat, non ab eo, qui hodie extat, objicias : at, inquam ego, etsi moriantur reges, populus interim, ut neque ulla alia universitas, nunquam moritur. Ut enim perennem fluvium fluxus, ita et populum immortalem ortus et interitus vicissitudo facit.... »

Quis sit regum finis? « Ad usum et utilitatem populi creatus est rex. Officium igitur est regum ut legi pareant. Regibus id præcipue muneris commendatum, ut legum custodes, ministri et conservatores essent. »

Tunc iterum Languetus ad fœdus redit inter regem populumque institutum. « In eo pacto agebatur de creando rege.... Stipulabatur populus a rege, an non juste et secundum leges regnaturus esset? hic facturum spondebat. Populus demum se juste imperanti, fideliter obsequuturum respondebat. Itaque promittebat rex pure, populus sub conditione : quæ si non impleretur, populus ipso jure omni obligatione solutus censeretur.... Quod si vero conditionis implendæ defectu contractus ipso jure solutus est, quis perjurum populum vocet, qui regi conditionem, quam implere debuit et potuit, negligenti, legemque, in quam juravit, violanti, obsequium deneget? Quis vero contra eum regem fœdifragum, perjurum, eo beneficio prorsus indignum non censeat? »

Confirmato jure tyrannis resistendi, scilicet eis qui priscum fœdus ruperint, quærendum est quibus id et quo modo et quo jure permissum sit. Sed duo genera in tyrannis distinguenda sunt : quæ distinctio maxime usitata decimo sexto seculo jam apud Bartholum de tyranno invenitur. Sunt enim tyranni *absque titulo*, et tyranni *ab exercitio*. Illi sine jure vel titulo potestatem vi occupant; hi imperium, jure legitimo obtinent, sed deterius gerunt. Populi autem diversa esse debet agendi ratio erga utrosque.

Primum inquirit Languetus quomodo resisti possit tyranno absque titulo : « Ut vero non adversus hosce tyrannos, jura naturæ, gentium, civilia, arma capere jubent; ita nec ulla omnino ratio dehortari potest. Non intervenit jusjurandum, non pactum ullum, non ulla obligatio, neque publica, neque privata. Itaque vel privato cuilibet tyrannidem hujusmodi, si intrudatur, depellere licet..... Habet vero contra locum lex de Tyrannicidis, quæ et vivos præmiis, et mortuos epitaphiis et statuis honorat, ut Harmodium et Aristogitonem Athenis. »

Sed si, occupato per vim regno et abnuentibus legibus, usurpator

a populo legitimam comprobationem elicuerit, pro titulo habenda erit popularis assentio, et jure obtinet quod usu tantum gerebat. Tunc demum populus parere debet; ni faciat, nulla sit potestas cujus de jure perpetua non futura sit disceptatio. Qua sententia videtur Languetus nonnihil infirmare quod stricte deduxerat hactenus a contractu. Non enim libenter populus assentiet, sed metu et vi coactus : quæ consentio secundum jus civile nulla erit et nullius effectus. Ut instauretur tyrannus in legitimum regnum, potestate sese abdicet oportet, atque ita expostulet a voluntate populi liberum consensum : sin aliter, quid valeat male rata potestas?

Quod vero ad legitimos reges improbe et impotenter magistratum exercentes spectat, non habendi sunt tyranni, si quid forte neglexerint vel deliquerint, nec bellum illico indicendum : veri etiam tyranni primum tolerandi sunt et omnibus ante modis utendum est quam armis; sed si pertinaciter in pravis artibus perstiterint rebelles habendi sunt et ideo dejiciendi.

Hic quoque institutam in secunda quæstione exceptionem renovat resistendi jus magistratus tantum penes esse, sive universos, sive complures; privatos vero omnino ejus exsortes esse.

De quarta quæstione nihil dicemus parum materiæ nostræ consentanea : an jure possint, aut debeant vicini principes auxilium ferre aliorum principum subditis, religionis puræ causa afflictis, aut manifesta tyrannide oppressis.

Huberti Langueti liber maxime idoneus nobis esse visus est, ad dignoscendum qua mente quove afflatu instincta fuerint opera politica, quæ in lucem a Calvinianis prodita sunt, post Sanbartholomæam cædem. Rationem exhibet civilium certaminum, quæ protestantes ediderunt a principibus fulti et aliquot civitatibus; et patratum explanat tyrannicidium a privato in tyrannum absque titulo, id est a Politroto in Franciscum Guisium, verbaque Langueti haberi possunt ut minæ in ceteros principes gentis Guisianæ intentæ.

Certum est *Vindicias contra tyrannos* ex omnibus Calvinianorum libris notissimum fuisse et argumentorum solerti dispositione et vi impellendi ad facinus gravissimum.

Inter alia tamen scripta debetur mentio Buchanani libro, anno 1579 edito sub hoc titulo : *de Jure regni apud Scotos*, eleganter et concinne scripto, qui animum libertatis observantissimum ostendit, et nescio quid in confabulando subtilitatis et urbanitatis, quo Platonem eum imitatum esse quidam æqualium voluerunt.

Sibi proponit illo Dialogo demonstrandum regium imperium ab electione populari ortum esse. Reges enim « cum publice inaugurantur populo universo sancte promittere se leges et majorum ritus veteraque instituta servaturos, eoque jure quod a majoribus acceperint usuros. E quibus facile intelligi potest qualem a majoribus acceperint potestatem, non aliam videlicet quam qui suffragiis electi in leges jurant [1] ».

Quod si rex tyrannus evaserit, per Scripturæ auctoritatem auctor demonstrat jure eum occidendum esse. Illud enim certum est « populum a quo reges nostri habent quidquid juris sibi vindicant, regibus esse potentiorem, jusque idem in eos habere multitudinem quod illi in singulos e multitudine habent ».

Quis tandem tyrannum e rege factum in jus vocabit? Populus, rege præstantior, populus, non vulgus, sed qui vere cives sunt, hoc est « qui legibus parent, societatem hominum tuentur, qui labores omnes, omnia pericula, malunt pro salute suorum obire, quam in otio ab honestate sejuncto per ignaviam consenescere, qui non præsentes fructus, sed æternitatis memoriam ante oculos propositam habent..... Quid vero, si rex sua sponte nolit, nec vi cogi possit, ut in jus veniat? — Latrones potentiores quam ut jure cum eis agi possit, bello et armis persequimur. Nec alia fere bellorum omnium causa prætenditur inter nationes, populos et reges, quam injuriæ, de quibus cum judicio non potest decerni, ferro cernitur..... Bello autem cum hoste justa de causa semel suscepto, jus est non modo non universo populo, sed singulis etiam, hostem interimere. Quid tyrannum, hostem publicum, quocum omnibus bonis perpetuum est bellum? Nonne singuli, e tota generis humani multitudine, jure omnes bellorum pœnas ab eo expetere possunt [2]. »

Minor inest huic libello quam Langueti *Vindiciis* vis argumentorum et ars in deducendis rebus et cogendis. Præterea languidius in hoc accidit religionis reformatæ flatus, et ex mera philosophia renovatoque ea ætate litterarum studio potius hausisse eum dixeris, ut minus Calvini Knoxiique discipulus quam Platonis, Aristotelis, Tulliique alumnus esse videatur.

Post memoratum Buchananum, alter ejusdem gentis scriptor menti succurrit, nomine Joannes Ponnetus, qui episcopatum adeptus sub Eduardo sexto floruit, maximoque fervore protestantium

1. § 57.
2. §§ 72, 81 et 85.

doctrinæ inserviit. Anno 1558 edidit librum de politica potestate principibus infensissimum, iisdem fere doctrinis imbutum et ad eumdem finem per paria argumenta devenientem [1].

Sed ne plura extrinsecus hauriamus, nec extra fines Galliæ nimis deerremus; satis multa sunt apud nos quæ amplam materiam ad investigandum præbeant.

1. Vide *Histoire de la littérature de l'Europe*, par Hallam, t. II, p. 137 et 138.

CAPUT DECIMUM

DE TYRANNICIDIO APUD HENOTICOS, SIVE CATHOLICOS CONTRA REGIAM POTESTATEM SANCTI FŒDERIS VINCULO CONJUNCTOS

Hactenus a protestantibus tantum vidimus lacessitam regiam institutionem, et a solis ejus factionis scriptoribus jus resistendi etiamque ad arma recurrendi prædicatum, tyrannique cædem laudibus ornatam.

Falso tamen existimaveris a Reformatione et religiosa protestantium fide ortas esse protervas illas opiniones et propagatas. Non nihil quidem exstitisse consentanei inter libertatem de rebus divinis disquirendi, quod proprium et peculiare sibi prætendit nova fides, et studium eximendi mentes, quo sæpius in contumaciam et deteriorem licentiam debacchatum est, fatendum. At illud verum est rebus et politico statu, non sua disciplina religiosaque institutione adductos esse Calvinianos ad exagitandam conviciis regiam potestatem et ad edendos pervicaces illos et infensos libellos, qui supra sunt descripti. Ad refellendum tantummodo sævitias et detestandum Sanbartholomæam trucidationem Hotomanus, Hubertus Languetus, Buchananus, et quidam alii quorum nomina exciderunt, in lucem protulere *Franco-Galliam, Vindicias contra tyrannos, de Jure regni*, et cetera multa.

Cujus rei maximo documento nobis erit magna quæ incessit mutatio apud Reformatos et animorum et opinionum, qua die in novum statum res publicæ se converterunt, quum Henricus tertius Gallorum rex, e Lutetia expulsus ab Henoticis Parisiensibus quibus præerat Guisius dux, ejus filius qui a Politroto occisus erat. Lutetia ejectus post civilem pugnam anno 1588, quum videret factionem Henoticorum contra regiam potestatem impio sancti fœderis, ut aiebant, vinculo conjunctorum, prævalere in Comitiis Blæsensibus, atque e manibus suis jamjam excidere summam potestatem, Hen-

ricus tertius, Machiavellina disciplina præmonitus et instructus, ducem Guisium et cardinalem Lotharingum occidi jubet; et exinde, cum Navarro societate instituta, protestantium ducem, cui postea Henrico quarto nomen fuit, sibi successorem futurum adoptat et profitetur.

Ab hoc tempore protestantes firmissimi regis facti sunt propugnatores; eorumque scriptores resciso et recantato quidquid de jure rebellandi et regem occidendi professi essent, novas sibi adsciscunt et propagant sententias a prioribus ex toto abhorrentes.

Item altera ex parte factionis catholicæ fautores, qui hactenus Hotomani, Langueti, aliorumque opiniones retruderant, in novas transiere.

Post civilem pugnam in Parisiensibus viis, et maxime flagrantibus Henoticorum animis, quumque a Sixto Quinto summo pontifice in Henricum tertium quartumque fulminata essent anathemata, protestantes atque Henotici ab sese invicem desumunt de politicis rebus argumenta et rationes. Calviniani pro summo regum imperio et jure hæreditario propugnare; Henotici contra pro summa populi potestate et tyrannicidio : utrinque hesternas opiniones abjicere et in extrema prolabi.

Triste quidem spectaculum, quodque alto mentem dolore perstringit, tot sententias, totque et tam diversas opiniones, sive de regum imperio, sive de populorum libertate et jure, effrenatis cupiditatibus et commodis inter se reluctantibus inserviisse, et factionibus fuisse ludibrio, nunc in altum provectas, nunc contumeliose proculcatas, prout alteris arrideret fortuna, vel alteros remorderent odia. Ad illam mobilitatem et inconstantiam ipse placidus Montanus indignatione exæstuat vernacula lingua : « Voyez l'horrible impudence de quoy nous pelotons les raisons divines, et combien irréligieusement nous les avons rejetées et reprises, selon que la fortune nous a changés de place en ces orages publics. Ceste proposition si solennelle : s'il est permis au sujet se rebeller et armer contre son prince pour défense de la religion, souvienne vous en quelles bouches ceste année passée l'affirmative d'icelle estoit l'arcboutant d'un party, la négative de quel autre party c'estoit l'arcboutant; et oyez à présent de quel quartier vient la voix et l'instruction de l'une et de l'aultre, et si les armes bruyent moins pour ceste cause que pour celle-là [1]. »

1. *Essais*, liv. II, chap. XII.

Inde patet quare catholici scriptores nihil aliud quam protestantium doctrinas et rationes, jamjam senescente decimo sexto seculo, explanatas ad inserviendum cupiditatibus catholicorum detorserint. Ex opere Francisci Hotomani de rege eligendo opiniones et de populari jure exprompta sunt ab Unionis fautoribus, quæ factio, pro sua origine municipali et plebeia, in alias sententias brevi transgressura erat, et tantum ad præsentem bre-vemque usum usurpatura necessario alienas disciplinas. Hotomani libro adjiciendæ sunt *Vindiciæ contra tyrannos* et quidquid de theocratica potestate medio ævo scriptum est; et plane nobis notum erit quo ex fonte hauserint ejus factionis auctores.

Notandum est tamen unum esse, quo in totum discrepent inter se protestantes et catholici : illi enim cum nobilibus maxime causam suam communicant, nec secius populari imperio municipalique libertati fovent et blandiuntur; hi contra mirum in modum popularia et sacerdotalia instituta consociant.

Nec existimandum omnes illas declamationes et impulsiones utrinque ortas in vanum excidisse. Ut enim de tyranno cædendo disceptationes decimo sexto seculo a protestantibus habitæ causa fuerunt cur dux Guisius apud Aurelianum morti occubuerit, ita eodem tempore institutæ a catholicis de eadem re orationes morti fuere Arausionensi, quem Balthazar Gerardus sustulit, Henrico tertio a Jacobo Clemente occiso, denique Henrico quarto, qui haud semel e sicariorum manibus elapsus tandem a Ravallaco oppressus est.

Sæpius notatum est, nec injuria, ab Hispania, auspice Philippo secundo et instigatore, in Arâusionensem emanavisse primas apud catholicos disceptationes de legitima cæde politici cujusdam viri; in Hispaniam rursus concessere post disturbatam Unionis factionem, et per librum Marianæ in lucem prodiere. In Gallia primum regiam institutionem conviciis insectati sunt catholici et primum regis cædem legitimam esse professi sunt, post Guillelmum Nassovium, Belgarum ducem a Balthazare Gerardo occisum. Unus ex catholicis, cujus nomen e memoria excidit, de ea re libellum edidit, cui inscribitur Gallica lingua : *Les cruels et horribles tormens de Balthazar Gérard, vray martyr, soufferts en l'exécution de sa glorieuse et mémorable mort pour avoir tué Guillaume de Nassau, prince d'Orenge, ennemy de son roy et de l'église catholique* [1].

1. Paris, Ducarroy, 1583.

Ubi talibus in publicum vulgatis mentes acquievere et æquo animo omnes passi sunt tam atrocia suaderi, jam non longa interfuit mora quin ad actum deveniretur et in gallicos principes istæ admoverentur rationes, præcipue in Henricum tertium. Protestantium doctrinæ a *Franco-Gallia*, a *Vindiciis* et a libro *de Jure regni* desumptæ a catholicis et usurpatæ brevi in proprium usum ab eis conversæ sunt.

Ludovicus Aurelianus, unus ex sancti fœderis conditoribus, in Parisiensi senatu regis advocatus, suscepit primus hanc catholicæ factionis conversionem et efficiendam et defendendam. Idem antea pro summo regum imperio propugnaverat et exitiosas, quæ sunt in Franco-Gallia, perversasque opiniones his verbis increpuerat :

..... Non parcitur uni
Augusto capiti regis.

At nunc contra, vigente jam Henoticorum factione, sibi vindicat et quasi ex sese ortas Hotomani sententias profert, adversarium imitatur et exspoliat multo longius progressus.

In prima Admonitione [1], qua catholicus anglicus catholicos gallicos objurgat, minis insectatur Henricum tertium et in antecessum spes et ambitionem Benearni principis præcidit. Libellum auspicatus est hoc carmine in honorem Galliæ composito :

Ton lis s'en va mourir, l'en peux-tu garantir?
Il pue au nez de Dieu comme une fleur impure,
Il l'a mis sous le pied pour ne le plus sentir.

« Ab hæreticis nempe flagitium omne et labes orta : quod malum sane radicitus erui poterat, ni abfuisset inhumana clementia, ait Aurelianus. Quum enim vitiatum sanguinem a tabidis membris elici necesse esset, per pravam et inconsideratam misericordiam Sanbartholomæa die, plus veneni servatum est quam ut totum sanaretur corpus. (Ab internecione exceptos Condæum sine dubio designat et Navarrum.) Quo factum est ut sanas etiam partes contagio jamjam sit corruptura; et Deus ipse in nos irascatur, ut in Saül quondam propter servatum Amalechum. Non quod cruorem sitiant catholici aut interemptis principibus gaudeant, qui nullos unquam Poltrotos suscitaverint, sed quum hæreticus in civitate, sicut in cor-

1. Advertissement des catholiques anglois aux François catholiques, etc., 1586.

pore membrum putredine confectum, quidquid contigerit vitiet, citius abcidendus et obtruncandus qualicumque conditione et ortu sese efferat.... Imo quo quis ad summum fastigium evectior, eo minori clementia habendus est, ne consciis dux et præses ostendatur ad rebelliones factionis fovendas. Cui si unquam fortuna arriserit et facultatem obtulerit inimicos opprimendi, certe neque ad parcendum, neque ad consanguinitatem affinitatemque respiciendam deflectetur.... Hæreticus enim quasi bellua sanguinem sitiens nihil aliud quam subvertendam civitatem molitur; ideo semper illi obviam eundum, semper nocendum qualicumque modo, sine pace, sine mora, præsertimque si a Dei societate pontificali decreto abscissus fuerit ut Navarrus. »

Post ea, ad notatione dignum devenit locum Aurelianus, quo catholicos hortatur ut pro suis partibus vindicent et quasi ex sese orta proferant in Navarrum, regis hæredem designatum, quæ argumenta protestantes protenderint in Henricum tertium, priusquam ille Lutetia ejectus societatem iniisset cum Navarro. Eos, inquit, ex suo modulo metamur, et quam viam ipsi aperuerunt sequamur, et ab ipsis suppeditatas virgas in eos retorqueamus; et quum isti in deterrima illa Franco-Gallia declaraverint licere ex mente et popularium arbitrio regem designari, hæreticis significemus nobis non esse ex sententia nec appetitu illum Navarrum.

Illam primam perorat Admonitionem mirifica quasi fulguratione et divino spiritu instinctus exæstuat, hæreticosque præmonet jamjam diem appetere, qua apud Deum ecclesiæ oppressæ ultorem, superbiæ et contumaciæ infensum, remota tandem misericordia, humanarum rerum tandem ortura sit cura. Sæve in Galliam imprecatur, ni aliquando torporem excusserit et Navarrum ab invadendo regno detruserit.

Quæ monita quum neglexisset morte pœnas exsolvit Henricus tertius. Unus ex primis Aurelianus atrox Jacobi Clementis facinus laudibus extulit. In Secunda Admonitione [1], cæsum regem omnibus præteritorum temporum tyrannis et præsertim Neroni comparem fuisse declarat, et a Deo missum divinaque mente instinctum fuisse profitetur humilem illum monachum, qui medio in exercitu, medio in potentiæ apparatu potentissimum principem solus et inops occiderit. Proinde æternæ commendandum memoriæ nomen

1. Second Advertissement des catholiques anglois aux François catholiques et à la noblesse qui suit à présent le roy de Navarre. Paris, Guillaume Bichon, 1590.

ejus censet, ut Dei timore reges inhibeantur, nec in posterum ecclesiæ auctoritatem civitatisque leges violent, illique placet monachi simulacrum æreum erigatur in foro sub hac inscriptione dicatum : Vindici religionis catholicæ et publicæ libertatis.

Subjicit eos scelerasse manus qui Dei famulum et ministrum impie necaverint : quippe nullum sit laicis in clericos jus aut vindicta, solumque decuerit ejus episcopum judicem et arbitrum videre quid sacerdos meritus esset, vel potius Deum a quo ad perpetrandum facinus esset incitatus.

At plane intelligit noster, quamvis iracundo ore delitiget et atris coloribus res delineat, sese nihil proficere ad movendos illos nobiles qui jamjam Henrici quarti fortunam toto corde amplecti essent. Tunc, novus Jeremia, ad objurgationes vertitur et atroces minas fulgurat. Quod si Navarrum ulterius sibi præesse sustineant nec ejus a scelerata hæreticorum societate abstinuerit manus, et sulfur et ignes in capita cælum intentabit, agrosque vastabit et domus subvertet : montes contremiscent, irascente Deo, terraque dehiscet pavefacta, paganique nobiles in ludibrio et contemptu habebunt, manibusque infensis ædes superbas eruent, et parvula natorum corpora in parietes illisa frangent, et principum ipsorum sanguis per vias manabit ut vilibus bestiis vulgo mactatis.

Talibus rudes popularium mentes accendebat, eoque major vis inerat sermoni grandiloquenti et inflammato, quod sæpius atrocia illa ad effectum jam adducta essent, verborumque majestas illa veteratoria animos præstringebat ut oculis officit mentitus auri splendor.

CAPUT UNDECIMUM

DE TYRANNICIDIO APUD HENOTICOS THEOLOGOS, ET PRÆCIPUE APUD BUCHERUM

In instituto certamine ab Henoticis adversus Henricum tertium primo, deinde in Henricum quartum, non modo in campo infensis armis concursum est, sed etiam et voces Henotici adhibuerunt concitatas prædicantium, et libellos veneno ac cruore madentes. In male dicendo et false stulteque criminando versabantur infensi, seu ex cathedra, sive per typos in vulgus proferrent sententias, et utrinque quasi certabant utri alteros convicia serendo antecederent.

Concinnus et eruditus auctor, Carolus Labitte, in opere cui inscribitur vernacule *de la Démocratie chez les prédicateurs de la Ligue,* penitus perscrutatus est et subtiliter descripsit debacchatum illud flumen eloquentiæ, truculentæ, sordidæ, scurrilis et cruentæ, qua singulariter commendatur hujus ætatis historia. Effinxit nobis et induxit animosos illos concionatores ecclesiæ militantis, quo nomine ipsi se afficiebant, Guillelmum Rosam, Vincestrium, Pigenatum, Genebrardum, Panigarolam, Patremque Comoletum illum Societatis Jesu latrantem, vociferantem, populares procellas concitantem, mediaque in cathedra se toto corpore dæmonis instar jactantem, et tinnula voce iterum atque iterum clamitantem : « Nobis altera Judith, nobis alter Aod citius detur! » et Bucherum, Sancti Benedicti curionem, qui omnes Henoticorum concionatorum principes supereminet et ex mediis exstat ut chori dux, exitialis sancti fœderis inter catholicos instigator, procellarumque magister. Ille sordidus et sævitia permistas in voces erumpens media in cathedra concionabundus olim exclamavit : Eripe nos de luto! quod in sermonem gallicum ita transtulit : Seigneur, *debourbonnez-nous!*

Oratores ex cathedra verba facientes persequi nil ad nostrum

propositum; non secius tamen Buchero attendere et de eo breviter disserere debemus, qui, miro quodam casu, truculentissimus orator simul et libellorum auctor maxime veneni plenorum exstiterit. Thuanus, in *Historiis sui temporis* [1], Joannem Bucherum inducit his verbis : Joannes Bucherus, nobili familia, imprimis eruditus, de cetero ad feritatem et rabiem usque obtrectator et factiosus.

Bucherus, Lutetia jamjam obsidione pressa, operam sibi præsumpsit exquisite et edocte explanandi et purgandi quibus consiliis in agendo fuissent instincti Sedecim viri, qui tunc rebus Parisiorum procurandis una cum Guisio duce præerant, et Sorbonici doctores qui cives fide et jurejurando erga Henricum tertium solutos esse proclamaverant, et ipse summus pontifex qui regem ex catholicorum societate abegerat, Gallici tandem catholici qui infensis armis eum lacessebant. Sane vocandus est ille catholicorum doctor et auspex simul atque orator. Atqui nihil ex sese produxit et tantum præ se gessit et usurpavit quidquid a protestantium scriptoribus in vulgus prolatum esset. Unum tamen illi simul ac ea ætate catholicis oratoribus proprium et peculiare addici potest quod indigestam quamdam et incompositam copulationem ediderint sacerdotalis et popularis juris, et nescio quam ridiculam inanemque reipublicæ speciem cui præesset summus pontifex. Argumenta sua et rationes promiscue desumit a Scripturis, a Thoma, ab Hotomano, a Langueto et a ceteris. Omnia sine arte congerit et permiscet supremum pontificis imperium populareque jus, inquinatum scholasticorum sermonem, Tullianam elocutionem et ex deformi illa mixtura excudit insolens quoddam opus arrogans ac turbulentum, ex elementis conflatum discrepantibus ut ipse catholicorum fœdere conjunctorum cœtus.

Librum suum edidit Bucherus anno 1589, paulo post occisum a Jacobo Clemente Henricum tertium, hoc titulo : *De justa Henrici tertii abdicatione e Francorum regno, libri quatuor* [2]. Qui iterum multiplici editione effinctus est typis Lugdunensibus anno 1591 [3]. Liber ille arte et industria omnino expers ex hominum memoria haud immerito excidisset, ni ætatis illius effigiem et ejus factionis libidines exacte exhiberet. Illud Thuanus habet opus fuisse catholicorum violentissimum et quod rabiem furoresque eorum integerrime expresserit : « Librum quo non aliud flagitiosius toto illo

1. Lib. LXXXVI, § 17.
2. Parisiis, apud Nicolaum Nivellium, via Jacobæa, ad insigne Columnarum.
3. Pillehotte edidit.

effrenatæ licentiæ tempore publicatum est, eoque rabula impudentissimus innumera dictu fœda et auditu horrenda per summam calumniam regi affingebat [1]. »

Multo longius processerant in rebellando Henotici quam protestantes, namque regem ex urbe expulsum regia dignitate abdicaverant. Ad quod facinus purgandum et explanandum adhibetur Bucheri liber. Ad universum igitur jus abdicandi reges spectat oratio, et singulariter defendit in Henrico tertio adhibitum. Inde in quatuor partes liber *De justa abdicatione* divisus, quarum prima de jure abdicandi reges disserit; secunda de causis legitimis quæ ecclesiam spectant Henricum tertium abdicandi; tertia de causis legitimis quæ Rempublicam spectant; quarta quibus modis formulisve utendum sit in abdicando. In perlonga illa disceptatione, quam ne brevi quidem commentatione sequemur, solus est tertius liber qui studio nobis et curæ esse debeat ut plane cum proposito congruens : de causis legitimis, quæ Rempublicam spectant, Henricum tertium abdicandi.

Exorditur ab objiciendo regi perfidiam et quod reipublicæ majestatem et tres civium ordines, publicis pecuniis deperditis, læserit; dein tyrannum et patriæ inimicum esse regem pronuntiat, et tunc de tyrannicidio instituit disserendum solertius quidem et subtilius quam pro solitis artibus.

Primum perhibet tyrannum a republica juste ejici, sententiamque theologorum tutatur exemplis ab antiquitate et sacra scriptura eductis. Sed qua arte et quibus modis tyrannus dignoscetur? « Tyrannum duobus modis intelligi constans theologorum sententia est, uno modo, si quis dominatum injuste invaserit, altero, si quis dominatu juste acquisito prave abutatur, eumque injuste administret. Duo ergo cum sint, quæ de Republica an ei in tyrannum, utroque modo sumptum, liceant, inquiratur, an scilicet privare eum dignitate possit, an etiam occidere : de priore dubitandum esset, nisi perinde illud foret ac quærere, in eo quidem qui invadit, an raptorem liceat de aliena possessione dejicere, in eo vero qui abutitur, an gladium liceat furioso adimere..... cum omnis est periculosa seditio, tum justas aliquando, imo et necessarias esse. Nullam autem neque justiorem, neque magis necessariam esse, quam quum tyranni crudelitate oppressus populus, ab universo civium legitime congregatorum cœtu auxilium petit. »

1. Lib. LXXXXV, § 10.

Tunc præ se profert historiæ profanæ exempla de hac tyrannicidii quæstione : an tyrannum liceat occidere. « An autem liceat occidere, majus quiddam et gravius est. Quod mirum est tamen, quum magnum affirmando consensum habeat, non profanorum authorum tantum, verum etiam et nostrorum. »

Post hæc, ad intima rei propositæ devenit : « Triplicem hic distinctionem theologi adhibent. Primam tyranni, quod ille vel invasor sit injusti dominatus, vel potestate, quam juste adeptus est, abutatur. Alteram potestate illa abutentis, quia vel in privatos tantum injurius sit, vel bono etiam communi, religionis videlicet ac Reipublicæ adversetur, et utriusque se hostem exhibeat. Tertiam potestatis occidendi, quod ea vel publica sit, vel privata. Atque ita, ut injustum invasorem utraque autoritate, cum publica tum privata, occidi posse velint : qui vero dominatu in privatos abutitur, publica tantum, non etiam privata : qui denique communis se boni, id est religionis ac patriæ hostem præbuerit, talisque a Republica judicatus sit, utraque rursum et publica et privata de medio tolli posse fateantur. »

Singula vel tenuissima quæque adoritur : dominatus usurpatorem cur occidere liceat. Jure vis adhibenda est in eum qui aliena bona invaserit, multoque magis in eum qui rempublicam. Cujus rei probandæ causa, occisum Colinium profert, famosum illum tyrannum, quem Carolus nonus interfici jusserit.

Secunda conclusio ex seponendis privatis publicisque injuriis oritur. Nemini fas est injurias privatas ulcisci; tyrannum igitur qui publicus hostis non sit, a privato occidi non licet. Sed si Respublica tyrannum hostem publicum proclamaverit esse, insanum et omnino sensus expertem, ac rerum humanarum rudem jure dicas qui neget non modo a vi publica sed etiam a privata manu occidendum esse tyrannum tanquam belluam. Tyrannum ergo religioni ac patriæ infensum licet occidere; privatus quivis tyrannum reipublicæ hostem occidere potest; reipublicæ hostis jus omne principatus amittit. « Id quoque consequitur, privato cuivis tyrannum, quem hostem respublica judicarit, occidere licitum esse, quodque publica Reipublicæ potestas est, ut se adversus hostem tueatur, eumque de medio tollat, ea in privatum quemvis suopte pondere devolvatur. Probante id vel natura ipsa, ut quod manui propter universum corpus, et filio propter matrem concessum est, ut infensum hostem ac vitæ ejus imminentem quacumque potest ratione percutiat, idem quoque in tyrannum, universi reipublicæ

corporis, communisque adeo matris, quæ patria est, interitum molientem, cuivis impune ac citra offensam facere permittatur. Quod inter christianos tanto magis licere debet, quanto majus est, quod iis a tyrannis non reipublicæ tantum, sed et religionis periculum creatur. Accedit, quod tum princeps esse desinit, jusque dominii omnino amittit, cum et jure ipso deponi constet, et præterea impossibile sit eumdem patrem simul atque hostem esse. »

In septimo decimo capitulo, doctrinam de tyrannicidio suffulcit exemplorum auctoritate quæ invocari solent et ex theologis hauriri. Inter plures Joannem Saresberiensem appellat, etiamque Gersonem, cujus verba prolata ad vim vi repellendam tantum spectant, id est ad jus resistendi, minime vero ad jus occidendi. Huc accedunt ex ordine omnes tyrannorum cædes ex sacris profanisque annalibus relatæ.

Sequitur disceptatio qua objectionum pro tyrannis solutionem exhibet. Auctorem nostrum per confusam et indigestam disceptationem pedetentim non sequemur; sat erit ad definiendum qua arte argumentandi potiusve cavillandi usus sit, unum excerpere locum quo a se ipso sibi objecta refutat. At enim, inquit, nec Joannes Baptista, nec Christus, nec Apostoli jus illud docuerunt. « Illud vero levissimum, quod non Joannes Baptista, non Christus, non Apostoli in regem impium surgere, aut de medio eum tollere docuerunt. Quasi vero eadem instituendæ ecclesiæ ratio, atque institutæ esse credenda sit. Ac non prius plantari et irrigari vineam, quam incidi oporteat. Adde quod nec id licuit, cum potestas impiorum superior esset. Sed neque illi Christum professi erant, ut cogi in verba ejus mortis supplicio possent. Sed tum demum scilicet id datum est, cum id prophetæ impletum est : Erunt reges nutriti tui, et vultu in terra demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. In quæ tempora ut ventum est, sic uti jure suo respublica Christiana profecto potest et vero debet. »

Denique Bucherus ad Henricum tertium admovet quidquid de tyrannicidio rationibus comprobatum deduxerit. Demonstrato primum quibus notis tyrannus a rege dignosci possit, in Henrico pronuntiat inesse omnia quibus exstet tyrannus. Quippe qui primum non legitime in regnum ingressus est : « Henricus ut legitime Carolo nono fratri, naturali morte, sine mascula prole occumbenti succedere potuerit, quod eo tamen veneno per scelus exstincto (quo ministerio, quave arte nihil dicimus) in regnum ingressus est, quis legitime regnum invasisse, ac non potius tyrannice fateatur?.... Dignus

certe, ut qui per parricidium regnum ingressus est, de eodem propter parricidium dejiceretur. »

Huc accedit quod Henricus tertius, teste et judice Buchero, impius fuerit legumque infractor et contemptor, natam sibi rempublicam putaverit, immodica tributa subditis imposuerit, aliena bona diripuerit, justitiam oppresserit, etc.

Quum jamjam Bucherus opus absolvisset et in eo esset ut typis mandaret, ecce mirabilis simul ac terribilis, die prima Augusti, per exploratores nuntius venit, Henricum tertium in medio exercitu, inter medias stipatorum catervas, gregarii cujusdam et contempti de divi Dominici familia fraterculi manu esse interfectum. Nomen fratri illi Jacobo Clementi erat. « Mortis contemptum zelus attulit, ait Bucherus, cum unum se præ oculis habere dicens, ut ecclesiæ ac patriæ pacem afferret, ut truculentissimæ bestiæ faucibus religionem eriperet, id etiam adderet, tutius sibi esse in egregio cœpto mori, ut mercedem a Deo solo tutissimam reciperet, ne si superstes foret, certante de præmio ei reddendo Gallia universa, ipse mundi favore resolutus in certissimo animæ suæ periculo versaretur. Tantum id se petere a Deo, ut citissima morte, patrato recens facinore necaretur. »

Quam cædem documento præmonet et indicio fore Navarri fautoribus, quos his verbis alloquitur :

« Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.

Vos scilicet, qui tyrannum coluistis, qui alterius Henrici anathematis reliquias sectamini, discite quid sit illud. Quid enim anathema alterum sectantes, hoc terribili edocti exemplo, in voluntarium excidium ruitis? Et relapsum, hæreticum, tot sceleribus ac crudelitatibus insignem sustinetis? Et strictum in vos gladium, qui tam terribiliter caput vestrum demessuit, non timetis? Scilicet hæreticus Gallorum rex erit, qualis perseverare nec hypocrita potuit? Et nos qui nec impurum sustinere potuimus, execratum istum assumemus? Num potius acerbissima morte millies moriamur? »

Haud multo post Bucheri librum *De justa Henrici tertii abdicatione*, prodiit in vulgus liber alter qui mirum in modum similitudinem prioris referebat, sub hoc titulo : *de Justa reipublicæ christianæ in reges impios et hæreticos authoritate, justissimaque catholicorum ad Henricum Navarræum et quemcumque hæreticum a regno Galliæ repellendum confœderatione* [1].

1. Parisiis, apud Guillelmum Bichonium, via Jacobæa, 1590.

Cujus libri diu auctor habitus est Guillelmus Rosa, Silvanectensis episcopus, unus ex furentissimis sacræ confœderationis fautoribus, quod in secunda editione [1], in ipso titulo subjicitur : Guillelmo Rossæo authore. Sunt qui Guillelmo Reginaldo Anglo attribuerint, sive Guillelmo Giffordo, Gilberto Genebrardo, quod epistola qua exorditur liber et dicatur Carolo duci Mayennensi obsignata esset : *G.-G.-R.-A. Peregrin. Roman.* At certe, ut sagacissime a Labitte explanatum est, Gallicus civis est qui libellum composuit, quod ex his verbis induci potest : « Nec guttam gallici sanguinis aut indolis habent..... Angli, æterni Galliæ hostes. » Non vero episcopus ut Guillelmus Rosa, qui hæc subjecerit : « Cum uxoribus et liberis tranquille vivimus. » Forsan ex Burgundia oriundum esse conjici potest ex his : « Non tam quid sit utile Burgundico nomine quam quid sit utile reipublicæ christianæ expendo; nec in meipso tanti vel sanguinem burgundicum vel mei regis gloriam, vel patriæ amplitudinem quam Christi fidem considero..... Deum ex animo precor ut Galliæ veteris sui imperii terminos latissimos conservet..... Sin vero Gallia a majorum suorum catholicorum fide discedat, tum ego Galliæ non tantum pro uno sex reges exopto ut olim dux noster Carolus, sed etiam decem et decies mille si fieri posset, omnibus nimirum urbibus suos separatim regem ut regulas imprecor. »

Sunt denique qui librum *de Justa reipublicæ christianæ* Joanni Buchero addicendum existimaverint. Nobis vero non videtur illis assentiendum, reputantibus non potuisse eumdem de eadem materia paucorum mensium intervallo intra annos 1589 et 1590 duos edidisse libros. Sunt quidem plurima et in rebus et in verbis quæ apud utrumque mire congruant, sed hoc inde exstat quod Bucherus et dubitatus ille auctor quasi easdem spirando captaverint auras eosdemque sensus animosque gererent et odia, quibus incendebantur omnes sacræ confœderationis participes.

Ideo probabile et laudandum esse judicat Jacobi Clementis facinus et Henricum tertium eisdem atque Bucherus conviciis et criminibus insectatur. Henricus, si illi credendum est, Galliam avare et sordide expilavit. Mahomete millies nequior fuit et sceleratior; in turpissimarum voluptatum ministros, in suos Amasios et Gnathones quinquagesies centena millia aureorum dissipavit; etiamque manus sceleravit Caroli noni fratris cæde, ut multi asserunt, ejus opera veneno exstincti. Illo imperante languescebat ecclesia; episcopatus

1. Anvers, 1592, chez Jean Keerberg.

et abbatiæ non minus libere vendebantur quam in medio foro oves et boves. Quis ignorat amplissimos episcopatus pueris, cæcis, surdis, improbis attributos? Familiariter denique utebatur Elisabetha, illa anglicana Jezabel, et Arausiensi principe et aliis similis farinæ hæresiarchis.

Quidquid id est et qualicumque nomine et auctore ornandus sit liber, plane manifestum est in illo libro strictim contineri quidquid sparsim apud omnes. Quamdam igitur quasi saturam habemus conflatam ex Hotomani, Langueti, Scripturæ et medii ævi doctrinis, haud secus ac Bucheri liber.

Itaque totum describere haudquaquam instituimus, sed ea tantum summatim attingere quæ ad propositum conferant de tyrannicidio. Qua de re, duo sunt apud auctorem nostrum capituli curiosius explicandi : tertius, quo inquiritur quis sit tyrannus; et decimus, contra furiosam protestantium opinionem de regibus christianis evangelio novo adversantibus (quos tyrannos vocant) per privatos homines quoscumque jugulandis, et quemadmodum verus tyrannus jure et recte ab homine privato potest interfici.

Auctor exquisite investigandum et præcise definiendum curat primum quibus notis intelligi et dignosci possit tyrannus. Nihil ambigui, nihil obscuri vult in re inhærere quod mentibus officere possit, ut plane liqueat et a primo aspectu cui principi inurenda sit labes illa, quis illo nomine fœdandus minime optando et quod adeo graviora consequi debeant. Ceterum et ob aliam causam necesse est hoc accuratissime explanare, « quia tyranni nomen est odiosum valde, et protestantes seditiosissime reges bonos et moderatos modo sibi adversantes vocant tyrannos ».

Christiani recte instituti tyrannorum loco habere debent istos « Dei contemptores Aurangios, Condeos, Colignios, et reliquos illos Galliæ incendiarios ».

Rex vere habendus est et a catholicis justo obsequio observandus, qui ante omnia episcopis, Christi vicariis, submissum sese gesserit in omnibus quæ ad fidem et conscientiam pertinent. « Ecclesiæ suæ perpetuo duraturæ Christus duos magistratus præfecit : episcopos et reges, e quibus episcopi spiritualia et interna, reges temporalia et externa curarent, et hii quoad spiritualia episcopis essent subjecti. Omnia christiana regna ita formata et ordinata sunt, ut rex non possit nec debeat ecclesiastica tractare, sed quoad talia episcopis obedire. »

Inde sequitur et concludi ab auctore potest illos vere et optimo

jure esse reges, qui suum hoc esse officium agnoscant ut « quæ episcopi in conciliis suis decreverint, ea reges gladiis et legibus suis stabiliant, semperque leges suas ad episcoporum canones forment ». At contra qui hæc præcepta violaverunt, qui hunc ordinem perverterunt, evaserunt infames tyranni.

Ex his et e prolatis exemplis deducit auctor quid intersit inter regem et tyrannum. « Quæ quum ita sint, inquit, non est jam arduum posita hac regum descriptione, tyrannum a rege internoscere; et tyrannum quum dico secludi volo ab hac disputatione, illa grammatica tyranni significata, juxta quæ veteres scriptores aliquando reges, aliquando monarchas absolute non tamen immaniter imperantes sub tyranni nomine complectuntur; eumque tantummodo tyrannum intelligo, quem vulgata Græcorum et Romanorum et christianorum quoque scripta, et ipsa apud christianos communis loquendi consuetudo tyranni nomen designat, quæ quemadmodum hoc nomen interpretetur, jam olim in celebri episcoporum concilio sic explicavit : Rex a recte regendo vocatur; si enim juste et pie et misericorditer regit, merito rex appellatur; si his caruerit, non rex, sed tyrannus est. »

Tunc tria esse genera tyrannorum asseverat : 1° qui leges contemnens rapaciter subditorum bona eripit; 2° qui libidinose corporibus vim affert et publicam honestatem moresque corrumpit. Deinde exempla aliquot ad rem explanandam ponit ex antiquorum annalibus desumpta. Sed ante omnes quos memoravit, in Henrico tertio præcipue immoratur. « Utque antiquis istis unum nostræ memoriæ et ætatis recentissimum et singulare tyrannidis exemplum adjungam, nihil in horum veterum tyrannorum profligatissimo quovis tyrannicum apparuit, quod non in Henrico Valesio hujus tempestatis tyranno Gallico excellenter eminuit; qui amplissimum et locupletissimum Galliæ regnum ita immaniter depeculatus est, ut nunquam Verres Siciliæ insulam magis avare et sordide expilaverit quam Henricus iste Galliam. »

Ille pariter et in primi generis et in secundi tyrannis annumerari potest : « Tyrannus ergo justissime habendus est Henricus iste, si secundam illam tyranni descriptionem attendimus; eoque magis quod non tantum ipse ignavia et animi sui sordidi remissione ad hanc fœditatem et nequitiam prolapsus est, eamque intra privatos palatii si parietes cohibuit, sed præterea insigni fraude, et incredibili perfidia, et manifesta violentia, totiusque potestatis suæ viribus, etiam nefaria bonorum hominum contumelia, et spoliatione,

et sanguine, et cæde, ad hanc diram impietatem toto regno propagandam connixus est. »

Tertium post hæc attingit genus tyrannorum aliis exsecrabilius. « Illi imprimis sunt tyranni christianis maxime exsecrabiles, qui regiam potentiam applicant ad hanc fidem destruendam, et hæreses ejus loco in rempublicam inducendas; et tyranni sunt paganis illis tanto nequiores, quanto fides Christi fidei paganæ antecellit..... Illud unum hic adjectum volo et animadverti cupio, quod est perspicue verum et ex istis antepositis consequens, vix aut potius nunquam fieri posse, ut rex aliquis catholice christianus, e christiano tali evadat hæreticus, quin eo ipso momento eademque opera, e rege evadat tyrannus..... Hinc factum est, ut majores nostri patres scriptoresque moderatissimi, imperatores christianos ut primum hæresim amplexi sunt, statim habuerint pro tyrannis, etiamsi fortassis magna aliqua crudelitate non fuerunt alioqui notabiles. » Quod concludit adscribendo Henricum tertium ad hoc tyrannorum genus, omniaque enumerat ab eo contra ecclesiam et fidem gesta.

Decimo capitulo nihil certe insolentius aut curiosa investigatione dignius decimo sexto seculo editum est. Auctor comprobandum sibi destinat primum protestantes tyrannicidii jus sibi vindicare in eos qui evangelium reformatamque religionem non amplectantur, et altera ex parte idem jus in reges hæreticos catholicis permitti contendit. Nec illis tam singulariter inter se discrepantibus opinionibus movetur et mira animi serenitate pergit ad propositum finem. Quod propius perspecta ejus disceptatio explanabit. Primum « desperatam protestantium opinionem refellit qua a quovis homine privato quemcumque ipsorum judicio tyrannum recte occidi posse asserunt; quod illi vel fecerunt vel tentaverunt in Maria regina Angliæ, et altera Maria Scotiæ, in duce Parmensi, in duce Guisiæ, et in regibus Galliæ Francisco II et Carolo IX ».

Esse tamen aliqua fatetur auctor, si res generaliter enuntiatas apud protestantes inspicias et dogmaticam argumentationem, quibus sit concedendum; sed quos in errores decidunt, et quam praviter delabuntur, si non mentem sed rem, non doctrinam sed usum attenderis! Confuse eructant, ut ægri in somniis, quædam axiomata quæ tamen postea, quum ad particulares conclusiones applicant, demum turpiter errant et labuntur.

Tum pro sua parte quæstionem ex catholicorum moribus et disciplina explanat, et primum usitatam et tritam distinctionem iterum exhibet inter tyrannum absque titulo et regem jure legitimo qui

pessime res publicas administrando evasit tyrannus. Cui uni attendit et immoratur. « Hic secundus tyrannus si in totam rempublicam, non in particulares tantum homines, tyrannidem exerceat, ut fecerunt aliquot et Romani et Græci imperatores, potest legitime deponi; et deinceps si vi regnum tenere velit, a quovis privato occidi. » Attamen diligenter cavendum est ne temere tyrannum declares propter unum quoddam delictum, namque una hirundo non facit ver. Sed si plane manifestum fuerit reipublicæ eam esse voluntatem ut huic deinceps non tanquam regi obediatur, sed resistatur ut tyranno, hæc reipublicæ voluntas privato cuivis perspecta, satis ampla eum auctoritate instruit ut tyrannum tanquam latronem interimat.

Ceterum norma est quædam et certa ratio, qua adhibita nunquam in errorem decideris : ecclesia scilicet consulenda est ejusque sententia in rege tyrannico deponendo maxime attendenda. Deinde scriptor noster hoc fusius explicat, et tyrannum a privato occidi posse probat ex philosophia Romanorum et Græcorum atque ex lege Mosaica veterum Hebræorum, ubi sæpenumero privati homines tyrannos obtruncaverunt, et in præmium fortitudinis suæ, principatum gentis a populo traditum ceperunt.

Ad hoc facinus est quod exemplar ad imitandum ante oculos subjici potest, quo scilicet inclaruit « innocentissimus et præclarissimus juvenis,.... ad summum et immortale Galliæ et Europæ ecclesiæ beneficium a spiritu Dei impulsus et armatus fuit... Famam et honorem defendam contra nequissimos quosdam, re calvinistas vel atheos, nomine politicos, qui hoc ejus factum heroicum et plane divinum carpere et calumniare non cessant ».

CAPUT DUODECIMUM

DE TYRANNICIDIO APUD CATHOLICOS, POST ABOLITAM HENOTICORUM CONFŒDERATIONEM, HENRICO QUARTO REGNUM ADEPTO

Tanta incitamenta, illæque de tyranno cædendo hortationes ad naturalem eventum pergere debebant. Jamjam Henricus quartus, abjurata protestantium fide, purgatus et emendatus e manibus archiepiscopi Bituricensis evaserat, assentientibus plurimis inter principes Gallicanæ ecclesiæ, intraque mœnia sua eum Parisii submisse receperant; atque Henoticorum confœderatio ad extremam desperationem redacta erat, anno 1594.

Eo ipso tempore in caput Henrici persæpe mors intentatur, armanturque continuo manus. Qua ratione et causa a perpetrando facinore Barrerius prohibitus sit per Lutetiæ obsidionem nemini non notum. Cujus post inane inceptum prodiit Castellus, qui regem cultro in labro superiore percussit et ipse excidit infecta re; sed causa fuit cur Jesuitæ e finibus Galliæ expulsi sunt.

Illa enim facinora ab obcæcatis prava religione mentibus oriebantur, et Jesuitis crimini datum est quod Barrerium incitavissent et præceptis monitisque Castellum instigavissent. Catholici et qui eis tunc præerant, Jesuitæ perhibebant non posse regem legitimum prius haberi vel rite absolutum quam summus pontifex ipse solemni piaculo lustrasset et indictis anathematibus exemisset.

Postquam vero Clemens septimus regem solemniter absolvisset, et in fidelium communionem admisisset, nihilo secius tunc furentissimi homines clamitare vel ab ipso summo pontifice Navarrum haud potuisse jure et rite absolvi, tyrannumque et usurpatorem eum esse qui subditorum libertatem opprimeret, hæreticumque qui animos popularium in perditionem mergeret.

Ab Henoticis sive catholicis sacro, ut aiebant, vinculo conjunctis inita erat in regiam auctoritatem rebellio, etiamque in vitam regum perpetrata facinora. Improba et deterior doctrina, quæ ad perturbandas res publicas spectat, nunquam tam cito aboletur quam causa ex qua orta est; sed in mentes vitiatas altiores quasi ingerit radices, nefariosque edit scelerum proventus. Rebellandi jus primo ad favendum Guisianis ambitionibus prolatum est, ac post sublatos Guisios conspirationes Bironi aliorumque procerum excitavit. Ex nefanda illa regicidii doctrina, cui occubuerat Henricus tertius, quasi e stirpe deduci debebat perlonga scelerum in Henricum quartum series. Quum sicariorum mentes cædis instigatoribus tantum inservirent, sese ex auctoritate et disciplina magistrorum civitate et religione institutorum exemerunt. Ad extrema demum et modum excedentia pravæ religiones et cæcus furor subripiunt necessario mentes et perversis rationibus depravatas et nimia rerum politicarum libidine ferventes.

Illud sane mirandum quod sicariis tum maxime obnoxius fuerit Henricus quartus, postquam in gratiam cum Romano pontifice rediisset, anno 1595. Ex quibus si nomina minus indicio digna neglexeris, primus prodit anno 1596 Joannes Guedo, causidicus Andegavensis; quem deinde sequitur anno 1597 polymitarius quidam artifex Parisiensis, qui prænuntiaverat si Castellus in vanum ictum effudisset, sese rem perfecturum; et postea monachus Petrus Audoenus instigatus a quodam Hispanico ministro, et Ridicovius monachus alter Dominicani ordinis sicut Jacobus Clemens, paribusque doctrinis imbutus, et ceteri omnes qui tertia die aprilis anno 1599 supremo supplicio affecti sunt.

Jesuitæ qui, post Castelli facinus, expulsi erant ex provincia Senatus Parisiensis et fere ex tota Gallia, ab Henrico restituti sunt anno 1603; et ab hoc tempore usque ad sublatum regem Ravallaci gladio, id est intra sex annos regni extremos, nihil in eum tentatum est, si minus Jesuitis dissuadentibus at certe quod rudibus vulgi animis pro rato et certo haberetur sanam regis et rectam fidem probari reconciliata ejus cum Jesuitis gratia.

Libellus his temporibus editus plane exprimit quid tunc censerent catholici acrioribus studiis depravati, qui negabant Henricum quartum ut regem legitimum se habituros vel post conversam fidem, cui inscribitur : *Apologie pour Jehan Chastel Parisien, exécuté à mort, et pour les pères et escholliers de la Société de Jésus bannis du royaume de France, par François de Vérone Constantin.* In lucem

prodiit anno 1595 a Joanne Buchero scriptus, qui tunc apud Belgas exsul degebat sub tutela et præsidio Hispanorum.

Ex quinque partibus quibus constat liber, secunda tantum nobis evolvenda est, quæ demonstratur justum esse Castelli facinus et ideo legitimam esse tyranni cujuslibet cædem.

Exorditur ab asserendo haudquaquam sibi in animo esse profiteri jure interfici posse reges, quibus obsequium et observantia debeatur ut Dei legatis et in terra procuratoribus. Nihilominus Henrici tertii cædem justam esse existimat, quia rex ille ut canonice damnatus esset à Sixto Quinto, qui a fidelium societate eum amoverat, ita civile a justa popularium rebellione. Ideo jure in eum ut in hostem publicum Jacobus Clemens armaverat manus.

Ad hæc subjicit non regem occidere in animo habuisse Castellum. Henricus quartus enim non vere rex est sed mentita quædam regis species, non jure sed re et facto tantum : « Ne pouvant estre très-chrestien celuy qui n'est pas chrestien, ny fils aîné de l'Église celuy qui n'est pas dans l'Église, ny catholique celuy qui est hérétique, ny sacré celuy qui est exécré, ny l'oingt de Dieu celuy qui est loing de Dieu... Joinct l'excommunication, tant de droict comme de faict, qui le tient tousjours lié, et qui opère tousjours son effect pour le priver de la royauté. N'ayant gaigné par l'absolution prétendue à S. Denys, sinon rendre sa condition pire et s'y plonger plus avant. »

Attamen sollicitæ menti observatur regis et pontificis reconciliatio, quæ jamjam appetebat, et curat inquirendum quo sit demum evasura, et contendit ne solemni quidem absolutione posse eum regium jus semel exemptum recuperare. « Mais ce qui est le plus notable, c'est que quand bien il seroit absous, et par celuy qui seul le peut, si ne seroit-il roy pourtant, aultrement qu'il est à présent, qui est de faict et non de droict. Premièrement pour n'estre telle attribution ou restitution de droict, de la nature et essence de l'absolution, ny par conséquent nécessairement y conjoincte ou despendante d'icelle... Joinct qu'estant iceluy condamné, non seulement par l'Église, mais aussi par les États, si bien le pape peut relascher la condamnation ecclésiastique, si ne pourroit-il la civile. Comme il ne se voit jamais aussi que l'absolution de l'Église exempte le criminel de la peine à laquelle la loy et le magistrat civil le condamnent... Et si l'on demande alors que feroit donc l'absolution, si le droict perdu ne revient? On respond que l'effect n'en seroit pas petit pourtant. Ne fusse que pour le spirituel, le

remettant au gyron de l'Église, et le rendant capable du royaume du ciel. Comme pour l'égard du temporel, tout ce qu'elle pourroit opérer, seroit de le rendre susceptible d'un nouveau droict, et par élection, ostant l'empeschement *in foro fori*, durant lequel il ne le pouvoit estre. Mais sans avoir égard néantmoins au susdit droict prétendu comme chose qui ne subsisteroit plus. »

Ad alia post hæc consideranda vertitur Bucherus contenditque hæreticos morte mulctari posse per jus divinum et humanum, quia non eos spectant nec ab illis appellari possunt in homicidas institutæ leges. Vel a privatis occidi possunt, sin aliter potuerit. « Que si l'on dict que cela se doibt faire par l'ordre du magistrat, on respond que comme cela est vray quand les choses sont entières et y a moien de le faire, aussi sçait-on que le cas estant aultre et la nécessité publique le requérant, et speciallement si le procès en est faict, l'aultre voye y est ouverte par l'un et l'aultre au premier qui le pourra. »

Quod si in hæreticos animadvertere cunctis licet, itidem in tyrannos ita ut unus e multis, facta copia, illos necare jure possit; opinionesque tutatur advocatis ad testimonium Tullio, Aristotele, Quintiliano, Plutarcho, divo Thoma, Seneca tragico, et protestantibus Junio Bruto, Buchanano et Beza.

Inde ad absolvendam disceptationem profitetur duobus de causis jure regem occidi posse qui sit simul et tyrannus et hæreticus. « Que s'il est ainsi, à prendre l'hérétique et le tyran à part, combien plus quand les deux sont joincts ensemble? Quand le veau d'or est couronné, et l'impiété mise au throsne? Quand le méchant est armé et le furieux a le glaive? Ou pour mieux dire quand le milan a ses griffes, le vautour son bec, le loup ses dents? Quand soubs mesme toict on voict le renard et le lyon ensemble, le renard d'hérésie et le lyon de tyrannie? »

In peroratione librum concludit Bucherus supremum hortando ut aliquando eximatur Dei ecclesiæque hostis : « Heureux celuy, par la forte dextre de qui sera la beste terrassée. C'est à quoy doibvent penser tous les grands de chrestienté, pour ruyner d'un accord celuy qui est la ruine du bien commun des chrestiens... C'est là que les armes sont justes, et plus que contre tout infidèle. Comme l'hérésie aussi est pire que toute infidélité et conformément à la parolle de Dieu. Lequel permettant à son peuple de faire paix et alliance avec les citez payennes qui estoient loing de luy, mais nullement avec celles qui estoient proches, lesquelles sans remission il vouloit estre mises au fil de l'espée sans en épargner un seul. »

CAPUT TERDECIMUM

QUID DE TYRANNICIDIO SENSERINT MARIANA ET CETERI SOCIETATIS JESU THEOLOGI

Disquirentibus institutam decimo sexto seculo de tyrannicidio disciplinam necessario succurrit liber, qui ante omnes illam insignivit, scilicet Joannis Marianæ *De rege et regis institutione*, primum Toleti editus anno 1599 [1]. Quamvis ille liber in Hispania editus sit, maxime in Gallia inclaruit et late pervagatus est, ex quo a Senatu Parisiensi condemnatus est et notatus a Sorbona post Henrici quarti cædem.

Liber ille quasi per expressam imaginem reddit et depingit quidquid mentes turbulentas ea ætate agitaverit, ex deterrimis libidinum furoribus et pravissima religione ortum, et ut per protestantes vulgatum Hotomanum, Languetum, Buchananum, ita per catholicos Ludovicum Aurelianum et Joannem Bucherum. Hic inquirendum censuimus cur illius potissimum nomen deformatum et memoria infamata fuerit, curque ille gravius quam antecessores conviciis et criminibus ob id oppressus sit. Cujus rei nobis videntur duæ esse causæ; primum quod in lucem prodiit hic liber inter utriusque Henrici cædes, quo tempore penitus æstuabant et fervebant mentes, pacis speciem exhibentes superne tantum et extrinsecus, sed ad primam accidentem scintillam sopitos ignes suscitaturæ. Secunda gravior causa exstitit, ipsius Marianæ indoles qualis ex ipso opere renidet. Ignoscendum quidem, ut in tali re, mentibus violenter vexatis, si quid violenti in prædicando vel in agendo adhibuerint, minorque invidia impingitur in protestantes

1. Ad illam editionem nos contulimus. Bibliothèque Nationale, E, 1106.

illos qui cruentis cædibus fuere obnoxii, Buchananus, Hotomanus, Languetusve. Sed nil tale passus est Mariana : in quiete et studio longam peregit vitam securus et ab omnibus procellis tutus, pectusque natura placidum nunquam exacerbatum est imperitantium impotentia, vel ambitionis contentionibus, vel læsi pudoris stimulo; nec tristibus fanaticorum affectibus exæstuavit; mensque excelsis et pacatis in sedibus usque remorata multo magis cum profanis scriptoribus antiquis vel recentioribus conversata est, quam cum scholasticis et ecclesiæ patribus. A mera eruditione, ab historia maxime, majorem desumit voluptatem, quam ex theologicis vel moralibus auctoribus. Nec tota tamen illis inservit mente studiis, ut venustioribus illecebris nihil condonet, nec concinnum quoddam et grande eloquendi genus requirat, quo inclaruit vere Ciceronianus ille renovatarum litterarum cultor.

Itaque quum in disserendo de rege et regis institutione remissa mente et fere festiva, ac digestis in numerum sententiis nefaria præcipit, quis non iracunde succendatur et majori in eum invehatur indignatione quam in Languetum, Bucherumve, qui saltem fida mente et ardenti pectore commoti esse videantur?

Si *De rege* liber nihil remoti nec excogitati in sententiis, at elegans et exquisitum genus eloquendi præbet. Præfatio qua dicatur liber regi Philippo secundo nescio quid olet Platonici dialogi ineuntis. Primum describit auctor facundia et colorum varietate vere Hispanica suburbanum Toledæ collem, ubi quum vesper appetit sub ingentium arborum frondibus adversa luna micantibus ex diurno labore mentem recreat confabulando cum theologo quodam ex amicis; hic Deo debita officia honoresque peragunt alterna voce sacra carmina canentes, vel otia oblectant doctis de philosophia vel de litteris disceptationibus. Quibus ex colloquiis liber *De rege* ortus est. Quis credat in religioso noctis silentio, mediisque naturæ splendoribus et inter celebrandas sacro cantu Domini laudes, atrocem et nefariam istam partam esse regicidii disciplinam [1]?

Primum Mariana de diversis gubernandi rationibus disserit, et unum reipublicæ præesse præstantius esse censet, haud ita tamen libertatem exosus; namque vivide et prolixe contraria explanat argumenta, et disquisito utra superior esse debeat potestas civitatisne an regis, cum Languecto pariter et Buchero maxime con-

1. Vide P. Janet, t. II, p. 213.

sentit. Ita fere apud omnes decimi sexti seculi scriptores vigent populares instinctus, et ab omnibus certatim seu protestantibus, seu catholicis regum potestas subruitur. Quod si quibusdam, ut Marianæ, submisse toleranda et colenda videatur, graviter tamen offenditur et læditur vel impositis terminis, vel intentatis minis. Non dubitat profiteri Mariana regem civitati posthabendum esse, id est supra principes eminere populum et ideo regiam auctoritatem non a natura vel a Deo, sed a populo ortam, non in perpetuum sed ad tempus delegatam, nec nisi annuente populo legitimam esse.

Primum inquirit Mariana quid intersit discriminis inter regem et tyrannum. « Cum regis veri partes sint, tueri innocentiam, coercere improbitatem, dare salutem, rempublicam bonis omnibus atque felicitate amplificare : tyrannus contra maximam potentiam in libidinis infinitæ licentia atque fructu constituit, nullum scelus sibi dedecori fore putat, nullum est tantum facinus quod non aggrediatur; potentium fortunas evertit, per vim labem castis infert, bonis vitam eripit, nullumque est probri genus, quod non in omni vita suscipiat [1]. »

Deinde ad tyrannicidii quæstionem accedit : an tyrannum opprimere fas sit [2]. Arcessitis primo ad documentum sive ab antiquis, sive a recentioribus exemplis, Henrici tertii cædem enarrat et in laudando Jacobo Clementi immoratur : « Irritatæ multitudinis odio principis quantæ sint vires, populi invidiam rectoris exitium esse, multis exemplis tum antiquis tum recentibus explicare promptum est. Nuperque in Gallia monimentum nobile est constitutum : quo perspicitur quanti referat popularium animos pacatos esse, quibus non perinde ac corporibus imperatur, insigne ad memoriam atque miserabile. Henricus eo nomine tertius Galliæ rex jacet manu monachi peremptus, medicato cultro in viscera adacto, fœdum spectaculum in paucis memorabile, sed quo principes doceantur, impios ausus haud impune cadere, principum potentiam imbecillem esse, si reverentia ab animis subditorum semel abscesserit..... Res propemodum deploratas, unius juvenis audacia ad tempus breve certe recreavit. Jacobus Clemens nomine, in sui ordinis Dominicano collegio theologiæ operam dabat : cum cognito a theologis, quos erat sciscitatus, tyrannum jure interimi

1. Lib. I, caput v, Discrimen regis et tyranni, p. 55 et seq.
2. Lib. I, caput vi, p. 65 et seq.

posse, tum acceptis litteris ab iis, quos ab Henrico voto in urbe aut palam stare odoratus erat suppresso consilio, certus regis perimendi in castra abiit..... Cæso rege ingens sibi nomen fecit; cæde cædes expiata, ac manibus Guisani ducis perfide perempti regio sanguine est parentatum. Sic Clemens periit æternum Galliæ decus, ut plerisque visum est, viginti quatuor natus annos, simplici juvenis ingenio, neque robusto corpore, sed major vis vires et animum confirmabat..... De facto monachi non una opinio fuit : multis laudantibus atque immortalitate dignum judicantibus; vituperant alii prudentiæ et eruditionis laude præstantes, fas esse negantes cuiquam privata auctoritate regem consensu populi renunciatum, sacroque oleo de more delibutum sanctumque adeo perimere, sit ille quamvis perditis moribus, atque in tyrannidem degenerarit. »

Si quid invidiæ in se conflaverit tyranni cædes, objicit Mariana illis qui tyranni partes tuentur, odio nimirum homines eos persectentur qui vitæ suæ periculo vindicent publicam libertatem et patriam ab tyranni nequitia liberent. « Ab omni memoria consideramus, in magna laude fuisse quicumque tyrannos perimere aggressi sunt. Quid enim Thrasibuli nomen gloria ad cælum evexit, nisi gravi triginta tyrannorum dominatu patriam liberasse? Quid Harmodium et Aristogitonem dicam? quid utrumque Brutum? quorum laus gratissima memoria posteritatis inclusa, et publica auctoritate testata est... Quorum audaciam quis unquam vituperavit, ac non potius summis laudibus dignam duxit? Et est communis sensus quasi quædam naturæ vox mentibus nostris indita, auribus insonans lex, qua a turpi honestum secernimus. Addas licet tyrannum bestiæ instar esse ferocis et immanis, qui quamcumque in parte se dederit, omnia vastat, diripit, incendit, miserabiles strages edit unguibus, dentibus, cornu. An dissimulandum judices? et non potius laudes, si quis vitæ suæ periculo publicam incolumitatem redimat?... Matrem carissimam aut uxorem si in conspectu vexari videas, neque succurras cum possis, crudelis sis ignaviæque et impietatis reprehensionem incurras : patriam cui amplius quam parentibus debemus, vexandam, exagitandam pro libidine tyranno relinquas? Apage tantum nefas, tantaque ignavia. Si vita, si laus, si fortunæ periclitandæ sint, patriam tamen periculo, patriam exitio liberemus. Hæc sunt utriusque partis præsidia, quibus attente consideratis, quid de proposita quæstione statuendum sit, explicare non erit difficile. ».

Annuentibus vero omnibus et philosophis et theologis, nemini dubium est quin liceat tyrannum occidere, si per violentiam regnum occupaverit, vel uni privatorum absque judicio et populi jussu. Si vero hæreditario jure regnum obtineat vel liberis popularium arcessitus suffragiis, tunc major adhibenda prudentia, neque committendum ut temerario arceatur : ad monitus primum et hortationes recurrendum si qua possit ad rectum reduci; quod si asper et invictus omnes admonitiones contempserit et proculcaverit, tunc potestate exuendus, tunc in eum ut in publicum hostem arripienda sunt arma; quum vero bellum indictum sit, de damnato supplicium sumere privatis hominibus permittitur, si quis capitis periculo rempublicam liberare statuerit.

Quamvis abfuerit judicium publicum, conventusque vel legitimæ concionis auctoritas, nihilominus populo et licet et indicitur in tyrannum corruere, penesque eum semper et ubique perstat vitæ necisque jus; non tamen privatus judicare potest utrum princeps tyrannus sit annon, requirendique sunt et in consilium adhibendi graviores quidam et eruditi homines, nisi publica vox adsit. Itaque sine ulla fere correctione jus occidendi tyranni aperte profitetur Mariana, nec tantum a conventu publico capitali pœna condemnatum regem, sed vel a privato absque judicio cæsum comprobat, nec tantum usurpatorem sed legitimum regem, non quem publica auctoritas tyranni loco et hostis publici habendum censuerit, sed quem nescio quid confusi et indiscreti, publica vox nempe judicaverit.

Nil lucidius et expressius exhiberi potest, nec ulli dubitandum quorsum spectet talis doctrina : politica cædes comprobatur, et summum jus non universos, non unum quemlibet e privatis civibus, sed sicarios penes esse confirmatur. Universa civitas ludibrio projicitur homini cuivis cæco furore instincto, seu Ravallaco, sive Jacobo Clementi, cujus ergo insana unius mens et pectus nequitia et deterioribus adactum effectibus prævalebit universi populi consiliis et ratione. Nullam invenias gubernandi formam, nullum gentis præsidem et justitia et beneficiis quamtumvis commendatum, in quem non retorqueri possint scelesta illa arma.

Aliqua tamen religione, si dicere fas est, inhibetur noster in septimo capitulo. Qua de re proferendum est, quamvis magna insit et stupendi et deridendi causa, sed magis forsitan quam ipsa doctrina demonstrat quam pravis artibus et conceptis obnoxius fuerit insanus eorum hominum animus. Ille idem qui ex professo

nec cunctanter perhibuit penes quemlibet esse jus occidendi tyranni, sollicito animo inquirit an liceat veneno tyrannum occidere. « Quæstionem tamen habet, an par facultas sit veneno herbisque lethalibus hostem publicum tyrannumque (idem enim judicium est) occidendi; quod ex me annis superioribus princeps quidam in Sicilia rogavit quo tempore in ea insula theologiæ scholas explicuimus. » Sane mirandum quibus argutiis nugisque anilibus illius ætatis theologorum mens distineatur, sed magis etiam mirandum quo responso talis agitata quæstio enucleata sit. Sæpe id factum scimus, inquit mirabilis noster casuista. Nobis tamen, qui non quid faciant homines sed quid per naturæ leges concessum sit despicimus, hæc est instituenda quæstio. Leges autem naturæ per quas ferro quemquam eximere licet, non item veneno uti concesserunt. At enim quid interest ferrove an veneno perimas. Est quidem difficilius principi venenum temperare, ex quo præsertim gustu epulas explorare usitatum est; sed si occasio opportuna offeratur, quin ad eam adeo promptam recurras tollendi hostis rationem. Equidem non negabo his argumentis magnam vim inesse, subjicit Mariana, quasi invitus renitatur. Sed vincit animi pietas et religio, nimirum crudele enim et a christianis moribus alienum co adigere hominem ut sibi ipsi manus afferat lethali veneno in cibo aut potu temperato, namque jure naturæ in vitam suam sævire vetatur omnibus. O miram hominis et flagitiosam amentiam! Qui modo frigide et impudenter in cruorem immergebatur, nunc caute et verecunde abhorret nescio quod somniatum scelus ejus qui inscius et invitus mortem sibi adsciverit. Quid, ait, refert prudenti an ignaro lethale venenum propinetur? at interfector non ignorat quo mortis genere utatur, et ad auctorem redit sceleris per ignorantiam commissi culpa. Quod si exterius ab alio adhibeatur venenum, nihil adjuvante eo qui perimendus est, quod humanitatis legibus jurique contrarium fuit, omni noxa caret ut cædes quævis et auctor noster nulla cunctatione illi assentit modo. Tota igitur quæstio in hoc versatur ut veneno vestes potiusquam cibos potusve inficias : « Nimirum cum tanta vis est veneni, ut sella aut veste delibuta vim interficiendi habeat [1]. » Sane pudeat ad humanam rationem respicientem stulta hæc et nefaria referre, ni operæ pretium sit hoc exemplo docere nihil esse quod non a mente humana excogitari possit. Hæc est ceterum decimi sexti seculi indoles, ut promiscue

1. P. 85.

absurda et gravia, concinnitatem et sordes proferat. Illud nostrum Pascalium omisisse plane desiderandum, namque in litteris ad Provincialem amicum scriptis multo magis quam alia quædam pertinenter affulsisset.

Non solus est Mariana theologorum e Societate Jesu qui tyrannicidium comprobaverit, ut plane liquet Jesuitarum historiis et sententiis Jesuitarum auctoritati regum et vitæ exitiosis [1]. Soarius, unus e summis illius Societatis et fere omnium temporum a Thoma theologis, hanc eamdem doctrinam confirmavit.

In tertio *De legibus* libro, pedetentim doctrinam Thomæ sectatur. Si rex legitimus jusserit injusta quædam, seu leges iniquas ediderit, nihil aliud quam abnuenda obedientia; quippe lex iniqua non legis loco haberi potest. Sed in usurpatorem, in tyrannum scilicet, quod ab antiquis usurpatum est nomen, longius spectat jus populi : et de more legitimo et vi illi obviam eundum ut hosti publico. At melius tolerare nequitiam ejus quam in eum insurgere, dummodo toleranda sit ejus dominatio; namque vel in insurgendo inest sæpius multo pejus malum quam in subeunda tyrannide.

Sed in *Defensione fidei catholicæ et apostolicæ adversus anglicanæ sectæ errores*, quum decertandun suscipiat adversus regiam potestatem quæ sibi nihil non permitti jure contenderit, multo longius pergit Soarius. In hoc libello perhibet tyrannum vel usurpatorem qualicumque modo sese habuerit a quovis e civibus sustolli posse, si nulla alia subdita fuerit ratio avertendæ dominationis. « Hunc tyrannum quoad titulum interfici posse a quacumque privata persona, quæ sit membrum reipublicæ quæ tyrannidem patitur, si aliter non possit rempublicam ab illa tyrannide liberare [2]. »

Quod si ad regem spectes jure legitimo, qui tyrannum egerit in deterius magistratu abusus, tunc duo sunt quæ discerni oporteat. Quum violatis legibus et proculcata justitia uni capiti incubuerit minans, ejusque impotentiæ obnoxia fuerit vel tua, vel patris vita, vel matris, filii, filiæve, sane licebit vim vi repellere et ad ultimam rationem recurrere; sed utique ex arbitrio erit ut publicæ tranquillitati privatam injuriam condones vindicandam sponte tua nec ullo alio adactus officio quam charitatis respectu; « hæc obligatio ad ordinem charitatis spectat ». Quum vero civitati toti et

1. Vide *les Sentiments des jésuites pernicieux à l'autorité et à la vie des souverains,* in libello cui inscribitur : *Recueil de pièces touchant l'histoire de la Compagnie de Jésus.* Liège, 1713.

2. Lib. VI, cap. IV, § 5, 6, 7.

libertati publicæ, quietique, vel vitæ omnium infensus exstiterit rex, tunc legitima cædes, tunc vel cuilibet ex privatis licet armare manus et communem causam ulcisci, et a rege ut ab hoste publico supplicium sumere : « Et tunc certe licebit principi resistere etiam occidendo illum, si aliter fieri non possit defensio[1]. » Tum quia si pro vita propria hoc licet, multo magis pro communi bono; tum etiam quia civitas ipsa seu respublica tunc habet justum bellum defensivum contra injustum invasorem, etiam si proprius rex sit; ergo quilibet civis, ut membrum reipublicæ, et ab ea vel expresse vel tacite motus, potest rempublicam defendere in eo conflictu, eo modo quo potuerit. »

Sæpius, haud equidem injuria reor, confirmatum est hanc de tyrannicidio doctrinam ab universa Jesu Societate fuisse exhibitam. Haud infitiandum certe opera Marianæ, Toleti, Soarii, Gregorii de Valentia et ceterorum ejusdem Societatis theologorum et in lucem prolata et iterum atque iterum typis recussa esse, annuentibus et collaudantibus Jesuitarum proceribus. Attamen fatendum est, postquam liber *De Rege et regis institutione* tota in Gallia maximam concitavisset invidiam et indignationem, atque a Senatu Parisiensi ad flammas damnatus fuisset, a summo Jesuitarum præfecto, Aquaviva, decreto notissimo interdictum fuisse ne quis postbac Societati agregatus istas quæstiones agitaret, et, sicut modo, de doctrina regum cædis ac rebellionis dissereret. Decretum R. P. Claudii Aquavivæ Jesuitæ larga manu in Gallia tum effuderunt. Id præsertim prudentia actum est; affirmat enim Juvencius hoc edictum nec in Hispania nec in Lusitania divulgatum fuisse. Qua de causa, non omnes Jesuitæ, adversante licet et Senatus et Aquavivæ decreto, præcepta, quæ Mariana docuerat, neglexerunt.

1. Lib. III, cap. III, § 8, et lib. IV, cap. VIII.

CONCLUSIO

Nunc in concludendo peragratum iter respicientibus, et breviter collecta rerum serie definientibus quali mente calviniani et catholici scriptores de tyrannicidio disseruerint, plane manifestum erit omnibus hanc exitiosam nefandamque doctrinam si minus suasione commendatam at saltem laudibus probatam.

Primus est Erasmus, acer et solers litterarum existimator, qui mollem et placidum libertatis amorem in criminando exhibuit, Tullii referens in dubitando elegantiam, Lucianive in mordendo urbanam asperitatem. Eum Stephanus Boetianus insequitur, qui etiam tunc adolescentulus, vixdum remotis præceptoribus, penitus veterum librorum succo imbutus disciplinaque institutus, ad declamationes vanas nocendique expertes in tyrannos invehitur nilque ad effectum spectantes, sed quæ posterius ut infensa arma in Galliæ reges intentabuntur, invito et insciente auctore. Apud utrumque quam apertissime emicat auctorum veterum mens absque religioso affectu. Et altius prospicientes affirmare possimus futurum fuisse ut illa mens et ille instinctus non in deterius declinasset, ni Machiavellus fuisset qui exitiosam suam disciplinam perfidaque præcepta adjunxerit et ut principes ita privatos, conjurationum artifices, ad frigidam crudelitatem et compositam sævitiam impulerit.

Sed jamjam appetebat tempus, quo hæc de tyrannicidio quæstio et gravior et ad libidines permovendas aptior exstaret, quum scilicet a religiosis factionibus agitari cœpta est, et ad ultionem sive ad dominationem pro instrumento adhiberi. Tunc eminuit Reformationis virtus : protestantes vexata fide ad vim et rebellionem confugiunt et ex ordinibus suis scriptorem præferunt altissima eruditione, qui in *Franco-Gallia* jus rebellandi legitimum habendum

confirmet et regnum apud Gallos non ex hæreditate sed ex electione ortum contendat. Exstitere et alii latius etiam Hotomano pergentes, qui laudibus Mereum Politrotum prosecuti sunt eumque cælestibus sedibus dignati sunt. Hubertus Languetus in *Vindiciis contra tyrannos* et Buchananus in libro *De jure regni apud Scotos* consortium iratas mentes vivide expromunt, post atrocem illam cædem Sanbartholomæa die habitam, et aperte prædicant jus esse occidendi tyrannos, id est Guisios et regem Carolum nonum. Permulti dein libelli vulgatam Protestantium doctrinam referunt, argumentisque innituntur quorum in errores sane animadvertendum, quanquam sævitiis iniquis vexati et horrenda illa trucidatione lacessiti rursus sese tuentur et vindicant.

Calviniani scriptores, et præsertim Languetus, a sacrosanctis Scripturis præcipue instinguuntur, non neglectis antiquorum vel recentiorum annalium exemplis. Confirmavimus poetas quoque ex eodem fonte hausisse, maxime Bartasium in suo *Judith* carmine, Albinium in *Tragicis* et Grevinum in *Cæsaris* tragœdia. Omnes æque sive carminum sive pedestris sermonis auctores certatim operam impenderunt ad stimulandos animos, doctrinasque consociorum confirmandas.

Ceterum maximi fuere momenti res præsentes et tempora ad acuendos protestantium animos : quod maxime patuit quum rerum mutata vice Henricus tertius, post civilem in viis Parisiensibus pugnam et Guisios principes occisos, cum Navarro societatem amicitiamque conciliavit, tunc protestantes omnes regiæ auctoritatis facti sunt propugnatores et jus hæreditarium defendere posthabito eligendi jure, et multo magis a fovenda tyrannicidii doctrina abhorrentes.

Henotici contra, quod sane mirandum, sollicita mente metuentes ne Navarrus, reformatæ fidei fautor, regni rebus procurandis præficiatur sese in locum Hugonotorum supponunt partesque excipiunt. In Henricum tertiumque Navarrumque libros proferunt infensos, quibus nil ex sese conspicui elicientes argumenta rursus retrudunt ab Hotomano, Langueto, Buchananove hausta.

Hi fuere Aurelianus, Bucherusque et auctor incertus libri *De justa reipublicæ christianæ authoritate.* Qui ultro profitentur se in suum usum invertisse doctrinas nuper ab adversariis prolatas. Illi quoque pro sua parte auctores Græcos Romanosque commemorant et ex Scripturis plurima desumunt exempla, Renovationis pariter Reformationisque virtutem et instinctum exprimentes.

Quin imo, quum Henricus quartus Protestantium fidem catholica religione mutavit, Lutetiæque et totius regni evasit dominus, atque Henoticorum factio abolita est dempto jure nocendi, etiam tunc tyrannicidium laudibus effertur a Buchero in *Apologia Castelli*, qui occidendum Henricum quartum susceperat.

Quod vero gravius, Mariana, qui nihil perturbationibus ab Henoticorum confœderatione commotis implicitus est, apud Hispanos degens in Societatis Jesu monasterio, nefandam regicidii exhibet apologiam. Ejus liber *De rege et regis institutione* unus maxime inclaruit, maximamque invidiam conflavit, diutissimeque in hominum memoria viguit sive eloquentiæ nervis et elegantia, sive Societatis cujus erat particeps famoso nomine : cui quidem haud immerito sæpius crimini datum est, quod per fas et nefas dominationem in politicis simul et religiosis rebus consequi voluerit.

Denique auctores ipsi mediocribus et temperatis mentibus, qui in scribendo non cæco religionis furore permoti sunt, nec protestantium catholicorumve partes secuti, contagionem cupiditatum effugere , quæ æquales et circumstantes præstringebant , non valuere. Solus fere sapiens Cujacius, totus in investigandis juris Romani penetralibus, non se dedit commovendum acerrimis contentionibus quibus tota Gallia tunc cruentabatur idque tantum objecit increpantibus amicis : *Quid hoc ad edictum prætoris?* Sed alii omnes jurisconsulti non eamdem servaverunt modestiam; Carolus Molinæus præsertim, quanquam maximo regum amore flagrabat, nihilominus ad comprobandum tyrannicidium prolapsus est de jure canonico disputans. In *Republica*, qui non liber est ad conviciandum ex tempore scriptus, sed matura mentis cogitatione ortus et gravissima ornatus eruditione, Bodinus, absolutæ potestatis fautor, in regum cædem sane invehitur, sed tyrannicidio et ipse nonnunquam acquiescit, aditum nefariis controversiis et consiliis præparans si quis imbecillo animo vel obcæcata mente libidinibus pravis indulserit.

Proinde catholicorum et protestantium decimo sexto seculo de tyrannicidio doctrinæ ex re et tempore aperte ortæ sunt : Reformati primum a regibus nihil non exspectare, illisque meram et absolutam potestatem deferre, dummodo ad propagandam suam fidem adhiberent; illis tantum succurrit vindicanda libertas, quum sibi infestos esse agnoverunt reges. Catholici contra, quum grandibus verbis causam potestatis regiæ extulissent et commoda, fusiusque se totos illi addictos esse dictitassent, in lacessendo reges et convi-

ciando adversarios antecessere ex quo manibus excidit sceptrum. Utrique professi sunt se libertati non gratuito amore inservire, sed tantum novas res affectare ut factionis suæ commodis indulgerent. Eruendum regum imperium utrique aggressi sunt, quod dominationem occupandam, non libertatem instituendam votis affectabant.

Nec tantum scribendo vel rerum rationes scite explanando quod mens parturiebat exprompsere, sed in bella civilia, in cruentissimas cædes nefarius erupit furor, parique apud posteros et protestantes et catholici damnatione infamandi sunt, quod neutri ad excelsiores æqui et justi leges respexere.

Quod si ad magna vitæ moralis principia erexerimus oculos et gravissimam juris publici quæstionem agitaverimus qua arte propugnandi, quibusve armis accingetur populus adversus principes vi summam potestatem adeptos vel improbe et violenter exercentes, parum novi luminis a decimo sexto seculo affulgebit. Namque inter doctrinam vel religiosissimam et usum experientiamque usque intruditur vis invicta humanarum libidinum, quæ nova semper ante pedes suggerunt, quibus offendit recti conscientia hæretque mens dubia et mœsto angore distenta.

Ad hæc solvenda Secundatus ipse nil fere lucidius valentiusve obtendit quam Aristoteles plus viginti seculis antea. At verborum ipso tenore et clementiori habitu in hac difficili et quasi lubrica quæstione, quam æquo et placido animo fere non tractari possis, significat et testatur quantum a rudibus et feris humaniores in dies et liberaliores evaserint publici mores : hoc forsan apud recentiores rerum publicarum ratio a veterum institutis et moribus maxime discrepat. Et quod magis notatione dignum, instituta recenter ratio in Gallia regimenque populare ad emendandos et leniendos mores optime profecit, ut nullus sit hodie inter Gallos quin satis habeat abdicatione tantum pœnas debitas sumi ab improbo rerum arbitro. Doctrina vero quæ cædem publicam suadet a quovis vere libertatis fautore respuitur et quam severissime condemnatur. Abolitum anno 1848 capitale supplicium de politica causa nemo est qui posterius restituendum existimaverit.

FINIS

INDEX

EDITORUM OPERUM, QUÆ TRACTAVIT ET QUIBUS USUS EST HUJUSCE THESIS AUCTOR

JOANNES SARESBERIENSIS. — Polycraticus, sive de nugis curialium ac vestigiis philosophorum libri octo. *Lugduni Batavorum, ex officina Joanis Maire, 1639, in-8*. (Hoc opus antea aliquoties vulgatum fuerat.)

THOMAS AQUINATIS (S.). — Opuscula omnia. *Venetiis, apud hæredem Hieronymi Scoti, 1587, in-fol.*

— Summa theologiæ. *Lugduni, apud fratres Deville, 1738, in-fol.*

— Œuvres complètes. Paris, *Louis Vivès, 1871-1880, grand in-8*. In tomo octavo continetur Commentum in libris Sententiarum Petri Lombardi.

ERASMUS. — Adagiorum chiliades quatuor, cum sesquicenturia. *Oliva Roberti Stephani, 1558, in-fol.*

Hoc opus Erasmi primum Lutetiæ impressum est anno 1500, in-4, sub illo titulo : Desiderii Herasmi Roterodami veterum, maximeqne insignium parœmiorum, id est adagiorum collectanea.

MACHIAVELLI Niccolo. — Opere varie. *Firenze, per Bernardo di Giunta, 1531-1532, 3 part. in-4.* — Œuvres. *Paris, 1793, chez Volland, 12 vol. in-8.*

CALVINUS. — Christianæ religionis institutio, totam fere privatis summam, et quicquid est in doctrina salutis cognitu necessarium complectens : omnibus pietatis studiosis lectu dignissimum opus, ac recens editum. Præfatio ad christianissimum regem Franciæ, qua hic ei liber pro confessione fidei offertur. Joanne Calvino Noviodunense autore. — *Basileæ, 1536, in-8.* — Primum anno 1541 in gallicum sermonem translatus fuit hic Calvini liber.

LA BOETIE. — La servitude volontaire ou le Contre-un. — Boetiani libellus anno 1549 scriptus primum in vulgus editus est in libro cui inscribitur : Mémoires de l'Estat de la France sous Charles IX, *1576*. (*Vide infra.*)

JACQUES GREVIN. — Le Théâtre. *Paris. Pour Vincent Sertenas et Guillaume Barbé, 1562, pet. in-8.*

G. DE SALUSTE DU BARTAS. — La Muse chrestienne. *A Bourdeaus, par Simon Millanges, 1573, in-4.* In hac editione continetur Judith poema. — Ses œuvres. *Paris, chez Gabriel Buon, au clos Bruneau, 1579, in-4.*

Fr. Hotomanus. — Franco-Gallia, sive tractatus isagogicus de regimine Regum Galliæ et de jure successionis. *Genevæ, ex officina Jac. Stoeri, 1573, in-8.*

Le Réveille-matin des François et de leurs voisins, composé par Eusèbe Philadelphe cosmopolite, en forme de dialogues. *A Edimbourg, de l'imprimerie de Jacques James, 1574, in-8.*

Mémoires de l'Estat de la France sous Charles neuviesme, contenant les choses plus notables, faites et publiées tant par les catholiques que par ceux de la religion depuis le troisième édit de pacification fait au mois d'aoust 1570 jusqu'au règne d'Henri troisième. *A Meidelbourg, 1576, 3 vol. in-8.*

J. Bodin. — Les six livres de la République. *Paris, 1576, in-fol.* — J. Bodini Andegavensis, De Republica libri sex, latine ab autore redditi. *Lugduni, et venundantur Parisiis, apud Jacobum Du-Puys, 1586, in-fol.*

G. Buchananus. — De jure regni apud Scotos. *Edimburgi, 1580, in-8.*

H. Languetus. — Vindiciæ contra tyrannos, sive de principis in populum, populique in principem, legitima potestate. Stephano Junio Bruto Celta autore, *1579, Basle, Guarin, pet. in-8.*

Libellus ille Huberti Langueti anno tantum 1581 in vulgus editus fuit, et antiquiorem annum ei falso inscripsit Guarinus typographus, ut nobis visum est.

— De la puissance légitime du prince sur le peuple et du peuple sur le prince. Traité très utile et digne de lecture en ce temps, écrit en latin par Estienne Junius Brutus, et nouvellement traduit en français. *S. l., 1581, pet. in-8.*

Montaigne (Michel-Eyquem de). — Les Essais. Cinquième édition augmentée d'un troisième livre et de six cents additions aux deux premiers. *Paris, Abel l'Angelier, in-4, 1588.* — Prima editio anno 1580 vulgata est.

— Essais publiés et annotés par Amaury-Duval. *Paris, Chasseriau, 1820-1823, 6 vol. in-8.*

Advertissement des catholiques anglois aux François catholiques, du danger où ils sont de perdre leur religion et d'expérimenter, comme en Angleterre, la cruauté des ministres s'ils reçoivent à la couronne un roi qui soit hérétique. *S. l., 1586, in-8.*

De justa Henrici tertii abdicatione e Francorum regno, libri quatuor. *Parisiis, apud Nicolaum Nivellium via Jacobæa, ad insigne Columnarum, 1589, in-8.*

De justa reipublicæ christianæ in reges impios et hæreticos authoritate, justissimaque catholicorum ad Henricum Navarræum et quemcumque hæreticum a regno Galliæ repellendum confœderatione. *Parisiis, apud Guilielmum Bichonium, via Jacobæa, 1590, in-8.*

Second Advertissement des catholiques anglois aux François catholiques et à la noblesse qui suit à présent le roy de Navarre. *A Paris, chez Guillaume Bichon, rue Saint-Jacques, 1590, in-8.*

Apologie pour Jehan Chastel, Parisien, exécuté à mort, et pour les Pères et escholliers de la Société de Jésus bannis du royaume de France, par François de Vérone Constantin. *S. l., 1595, in-8.*

J. Mariana. — De rege et regis institutione libri III. *Toleti, apud Petrum Rodericum, 1599, in-4.*

Fr. Suarez. — Opera omnia. Editio nova a Carolo Berton. *Parisiis, apud Ludovicum Vivès, bibliopolam editorem, 1856 et annis sequentibus.*

In tomo vigesimo quarto continetur libellus primum in lucem editus anno 1613, cui inscribitur : Defensio fidei catholicæ adversus Anglicanæ sectæ errores, cum Responsione ad Apologiam pro juramento fidelitatis.

Jac. A. Thuanus. — Historiarum sui temporis libri. Hujus operis prima editio vulgata fuit *Parisiis, apud Mamert Patisson, 1604, 1 vol. in-fol., et apud Drouart, 1607-1609, 3 vol. in-fol.*

Altera editio : *Londini excudi curavit Samuel Buckley, 1733, 7 vol. in-fol.*

Les canons des conciles de Tolède, de Meaux, de Mayence, d'Oxford et de Constance, etc., *1615. S. l., in-8.*

Th. Agrippa d'Aubigné. — Les Tragiques. *Au Désert, 1616, in-4.* — Edition Lalanne. *Paris. Chez Jannet, 1857, in-12.*

Claudius Salmasius. — Defensio regia pro Carolo I. *Sumptibus regiis. S. l., 1649, in-fol.*

— Apologie pour Charles Ier, roy d'Angleterre, par Messire Claude de Saumaise. *Paris, chez la veuve Mathurin Dupuis, 1650, in-4.*

Joannes Miltonus. — Pro populo Anglicano Defensio contra Claudii Anonymi, alias Salmasii, Defensionem regiam. *Londini, typis Du Gàrdianis, anno Domini 1651, in-16.*

Jac. Cujacius. — Opera quæ de jure reliquit. Opera et studio Caroli Annibalis Fabroti. *Lutetiæ Parisiorum, 1658, 10 vol. in-fol.*

Car. Molinæus. — Omnia quæ exstant opera. *Parisiis, sumptibus Dionysii Thierry, via Jacobæa, 1681, 5 vol. in-fol.*

P. Bayle. — Dictionnaire historique et critique, troisième édition. *Rotterdam. Mich. Bohm. 1720, 4 vol. in-fol.*

Recueil de pièces touchant l'histoire de la Compagnie de Jésus composées par le père Jouvenci, jésuite. *Liège, 1713, pet. in-8.* — Les sentiments des Jésuites pernicieux à l'autorité et à la vie des souverains, p. 193 du Recueil.

Annales de la Société des soi-disans jésuites. *Paris, 1764, 4 vol. in-4.*

Sainte-Beuve. — Tableau historique et critique de la poésie française et du théâtre français au xvie siècle. *Paris, Charpentier, 1869, in-12.* — Illius libri prima editio anno 1828 vulgata est.

Michelet. — Mémoires de Luther. *Paris, Hachette, 1835, 2 vol. in-8.*

Hallam. — Histoire de la littérature de l'Europe pendant les xve, xvie et xviie siècles, traduit de l'anglais par Alphonse Borghers. *Paris, Ladrange, 1839, 4 vol. in-8.*

Labitte. — De la démocratie chez les prédicateurs de la Ligue. *Paris, Joubert, 1841, in-8.*

De jure politico quid senserit Mariana. *Lutetiæ Parisiorum, 1841, in-8.*

Sayous. — Études littéraires sur les écrivains français de la Réformation. *Paris, Cherbuliez, 1854, 2 vol. in-12.* — Prima editio anno 1842 vulgata est.

R. Dareste. — Essai sur François Hotman. *Paris, Durand, 1850, in-8.*

H. Chevreul. — Hubert Languet. *Paris, Potier L., 1852, in-8.*

H. Baudrillart. — J. Bodin et son temps. *Paris, Guillaumin, 1853, in-8.*

Ch. Jourdain. — La philosophie de saint Thomas. *Paris, Hachette, 1858, 2 vol. in-8.*

P. Janet. — Histoire de la philosophie morale et politique, dans l'antiquité et les temps modernes. *Paris, Ladrange, 1858, 2 vol. in-8.* — Histoire de la science politique dans ses rapports avec la morale (2e édition). *Paris, Germer Baillière, 1872, 2 vol. in-8.*

Ad. Franck. — Réformateurs et publicistes de l'Europe : Moyen âge et Renaissance. *Paris. Lévy, 1864, in-8.* — Dix-septième siècle. *Paris, Lévy, 1881, in-8.*

Lenient. — La satire en France au xvie siècle. *Paris, Hachette, 1866, in-8.*

Egger. — Études d'histoire et de morale sur le meurtre politique chez les Grecs et chez les Romains (Mémoires de la Royale Académie des Sciences de Turin. Série II, t. XXIII.) *Turin, imprimerie royale, 1866, in-4.*

A. Desjardins. — Les moralistes français au xvie siècle. *Paris, Didier et Cie, 1870, in-8.*

Ed. Cougny. — François Hotman; la France-Gaule. *Paris, Thorin, 1874, in-8.*

E. Gebhart. — La Renaissance italienne, Machiavel, etc. *Paris, Léopold-Cerf, 1887, in-12.*

Albert Wadington. — *De Huberti Langueti vita. Paris, E. Leroux, 1888, in-8.*

INDEX

LATINO-VERNACULUS NOMINUM PROPRIORUM (ET ETIAM RERUM) QUÆ IN HAC THESI CONTINENTUR

(Numerus Arabicus paginam designat.)

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VI Kal. aug. ann. MDCCCLXXXVIII,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis rector,
GRÉARD.

SUMMA CAPITUM

COULOMMIERS. — Typog. P. BRODARD et GALLOIS.